



N
N.9428
e 40




ad usum P. Anaffassij
9428. IV. N. e.

V







DIALOGI PHYSICI
Convenitus d e P. Crem.
PLANTIS
EX OPERE GALLICO

R. P. NATALIS

REGNAULTS.

Augustinus EXCERPTI
IN LATINUM TRADECTILAL
HONORIBUS

Perillustrium , Reverendorum,
Religiorum, Prænobilium, Nobilium, DD.

Cum

In Alma ac Celeberrima Universitate
Græcensi prima AA. LL. & Philosophiæ
Laurea insignirentur.


PROMOTORE

R. P. CAROLO DOLLENZ,
e S. J. AA. LL. & Philos. Doctore,
ejusdemque in Physicis Professore
Ordinario.

A CONDISCIPULIS PHYSICIS
INSCRIPTI.

ANNO M. DCC. XLIII.

Græcii, Typis Hæredum Widmanstadii.



IN=030006628

*PERILLUSTRES,
REVERENDI, RELIGIOSI,
PRÆNOBILES, NOBILES
DOMINI
NEO-BACCALAUREI.*



Uinos de Plantis Dia-
logos ex opere Gal-
lico R. P. Natalis
Regnault S. J. ex-
cerptos, & latinitate donatos in
honoris Vestri Theatrum infe-
rimus, primisque Philosophiæ
cer-

certaminibus gloriose defun-
ctos, isthoc munusculo dona-
mus. Minime vobis id displi-
citum credimus, quippe tem-
pori, quô modò fruimur, quâm
maxime congruit. Ver amœ-
nitate sua, ac suavissima aëris
temperie, in Hortos & Virida-
ria invitat, quâm jucunda ubi-
que locorum Vestris se se ocu-
lis scena aperit, hic arborum,
illic florum gratissima varietas,
dignum profecto Philosopho
spectaculum si hos naturæ
thesauros suam in utilitatem
vertere nôrit, & aliquid ultrâ
rerum superficiem condiscat.
Uberiori Vobis voluptati fuerit,
non extimam tantum Plantar-
um compositionem, & florum
structuram, verum intimam
tam elegantium naturæ operum
indolem perspicere. Qua in re
opu-

opusculum hoc adminiculo Vo-
bis esse poterit. Amica ete-
nim & perquam familiari col-
locutione ibidem exponitur,
Plantarum origo & admiranda
partium interiorum conforma-
tio, cultura, fœcunditas ; mul-
tiplex infestationum ratio ; disce-
tis miram quarundam extra pa-
trium solum nascentium Plan-
tarum indolem ; ipsos etiam,
quibus plantæ laborant, mor-
bos cognoscetis, & si quæ sunt
eiusmodi, quæ ad hanc mate-
riam pertinent. Illud à Vobis,
de æquitate animi vestri confi-
si expectamus, ut qualem cun-
que conatum hunc nostrum
boni consulatis. Vobis verò
sincerissimis votis precamur, ut
quemadmodum hoc in Philo-
sophiæ curriculo in amplissimas
spes adolescentis, ita morum &

in,

ingenii sedula cultura deside-
riorum nostrorum metam fau-
stè ac feliciter contingatis. Sic
vovent

Honoribus Vestrīs

Addictissimi

Physici Condiscipuli;



DIALOGUS I.

D E

Origine, Genesi, situ recto, &
Succis nutritiis Plantarum.

EUDOXUS. An tu, Ariste, plantarum cognitione sic afficiaris, ut ego in delitiis illam habeo, nec scio: sanè nihil mihi hoc studio jucundius, nihil magis innocuum videtur.

ARISTUS. Semper equidem delectabar in admiranda illa plantarum multitudine & varietate agnoscere fœcundam DEI manum, quæ splendide adeò terræ ambitum ad ornatum juxta, ac vitæ sanitatisque commodum vestivit. Nunc verò me allicit, ipsa plantarum natura, interior plexus, origo, succi nutritii, vegetatio, directio, generatio, fœcunditas, cultura, aliæque proprietates, demum ipsi plantarum morbi. Tuam his super rebus sententiam avidissimè expecto.

EUDOXUS. Morem tibi geram. Plan-


ta est corpus suis instructum organis, tantummodo vegetans; quod scilicet se se nutrit intrinsecus, crescit, ejusdemque speciei corpus progenerat, anima tamen motrice, & sentiente caret. Quamvis enim in plantis obseruentur organa ad recipiendum, præparandum, purgandum, & distribuendum succum nutritum accommoda, organa tamen motui, & sensationi destinata nemo detexit hactenus.


(a) Juxta celebris Malpighii observationes præcipua plantarum organa, *Fig. 1.* sunt fibræ lignosæ M. tracheæ K. utriculi N. Fibræ sunt tubuli angusti, oblongi, secundum plantæ longitudinem porrecti, ut plurimùm rectis in morem illigati. (b) Tracheæ sunt tubuli crassiores, figuram exhibent spiralem, suntque ab infima ad supremam plantæ partem ea ratione dispositi, ut cellularum instar modò in progressu dilatentur, modò uniantur, quemadmodum videre licet, si caulem linea horizonti parallela rescindas. Similes sunt tracheis, & pulmonibus insectorum, eundemque fere situm obtinent. (c) Microscopii subsidio innumera in ligno deteguntur foramina ordinatim in gyrum distributa. (d) Vesiculae

(a) *Anatomæ Plantarum Idea*, p. 3. *Anat.* p. 8.
 (b) *Anat. Plant.* p. 3. (c) *Ibid.* p. 14. (d) *Mem. Lipsi.* 1723. Jan. p. 36.

Fig. 1.

Pag. 2.





Iæ quædam figuram fere ovalem referentes appellantur utriculi, constituuntque plures ordines ad plantæ axem aut horizontales aut perpendiculares, invicem implexos. (e)

Physicorum nonnemo (f) cui minutissima etiam naturæ opera detexisse, summam laudem peperit, visa à se refert in ligno oblique secto ascendentia vasculorum oscilla, quæ quidem inermi oculo deprehendi non poterant, exhibito autem microscopio pisi magnitudinem referebant. Observavit alia quoque vascula, prioribus inserta, in quorum latera vernum humorem dispensabant; alia itidem, quæ ex medulla egressa corticem versus porrigebantur, situ horizonti ad libellam respondente.

Ex fibris, tracheis, & utriculis oritur cortex, lignum, medulla. Cortex constat pellicula, textura quoque fibrarum, trachearum & utricularum, quæ ligno inseruntur. (g) Lignum suis instructum est fibris, suis tracheis, suis vesiculis; medulla denique congeries veluti videtur vesicularum, quæ prædictarum ligni partium similitudinem utcunque exhibent.

Inde proveniunt radices, caulis vel trun-

A 2

cus,

(e) Anat. Plant. Idea p. 2. (f) D. Leuwenhoek 31. Vol. transact. Angl. Socis Regiae Londin. Mem. Lit. Magnæ Brit. Tom. XIV. p. 526. & 527. (g) Anat. Plant. p. 11

cus, gemmæ, rami, folia, flores, fructus, se-
men, & germen. Radices sunt partes ca-
pillatæ, cuius fibræ ad spissiores succos re-
cipiendos per quam aptæ sunt, facilique ne-
gotio terræ adhærescunt. Caulis ea pars
est, quæ à radicibus in formam cylindri ad
ramos usque aut folia porrigitur. Gemmæ
seu plantæ oculi, & rami stolonum species
sunt, qui ex caule propullulant. Folia sunt
fibrarum ramis, & caule contentarum emissi
fœtus. Fibræ trachæis, & utriculis junctæ
ex petiolo quopiam protuberant, atque in
latum tenduntur primùm, aliquot deinde
post flexus junguntur, formântque folii
planum, & ambitum. Flos, fere ut folium,
est fibrarum ex cortice ac ligno subnascen-
tium, magisque subtilium textura. Ut va-
ria est ejusmodi textura, & foliorum dispo-
sitio, ita hunc florem amaranthum, illum
rosam, alium tulipam, appellamus. Fru-
ctus, qui ut plurimùm in floris umbilico
nascitur, semen vel granum continet, plan-
tulam scilicet suæ evolutioni proximam.

ARISTUS. Hæc igitur tua est opinio,
Eudoxe! quamlibet plantam oriri ex grano
seu semine, granum esse plantulam ex inte-
gro formatam, quæ tum nascitur, cum se se
explicat, ac evolvit.

EUDOXUS. Sic equidem censeo. Aut
enim planta quævis ex grano oritur, in quo
ea-

eadem ab ipsa jam natura contractiore struc-
tura sit elaborata, aut plantas reperire est,
quæ ex fortuito concursu quorundam suc-
corum diversimodè agitatorum resultent?
atqui incredibile est, dari plantas, quæ ex
hujusmodi concurru ducant originem; nam
1. ex eadem specie nonnisi plantas ex toto
similes oriri cernimus; num concursus for-
tuitus, tam exactus, & veluti ad regulam
dimensus sit, ut tam multiplicibus in plan-
tis mirabilis adeò uniformitas vigeat? 2.
si fortuito ex concursu nascuntur plantæ,
cur indies progigni novas non videmus?
Sanè aut nullæ, aut paucissimæ plantarum
species notatae sunt, quæ nos hactenus la-
guissent; anne fortuita tam angustis limiti-
bus circumscripta sint? 3. Plantarum struc-
tura tam est exquisitè composita, ut acu-
tissimi ingenii artifices in id junctis consiliis
conspirantes, ea ratione succos miscere ne-
quiren, quò una, vel ex vulgaribus plan-
tis in lucem emergat; & casus id efficeret?
Denique statim ac minima nascientis plantæ
pars detegitur, ex integro formatam se se-
illa nobis exhibet; numne de industria sub-
ducere nostris oculis plantam natura con-
fessaretur, donec fortuitus ille succi con-
cursus eandem perfectè elaborasset? igitur
quævis planta suo ex grano proficitur,
granum plantula est, quæ alia re opus non

habet, quām ut se se tractu temporis explicet. Plantarum grana cum animalium ovis utcunque consentiunt; nam in ovo animal, in grano planta exigua mole delitescunt, neque alia ratione nascuntur utraque, quām se se evolvendo, ac explicando.

ARISTUS. Quamquam longioris temporis industria multarum plantarum semina detexerit, quæ se hactenus subducebant oculis, reperire tamen est plantas, quarum semina sagacissimum quoque obtutum effugiunt.

EUDOXIUS. Cui quod res est: verūm nōsse te oportet 1. maximum procul dubio illarum plantarum esse numerum, quæ semen ferunt; profectò id citra præjudicium asseritur. 2. Quot, quæso, plantæ seminibus molis tam exiguæ instructæ sunt: ut studiosissimos etiam conatus eludant.

ARISTUS. At perpensis omnibus Eudoxe! si planta verni succi adminiculo parvam aliquam plantam elaborare valet, quid opus, in quavis planta semen fingere, quid sit plantula?

EUDOXIUS. Planta vernum quidem succum transmittere potest ad deferendum, ac distribuendum alimentum; vernus succus plantam nutrire valet. Quoniam vero planta aliud non est, quam fibrarum, vasculorum, & vesicularum fasciculus actione ca-

tens, vernus quoque succus aliud nihil, quam fortuita, ut ajebas, salium & particularum aquearum congeries, qua ratione planta verno cum succo formaret radices, caulem, ramos, folia, corpus instructum organis, quod humanum ingenium superat? Planta dum generat, aliud non efficit, quam quod in lucem proferat id, quod Creatoris manus sub mundi initium eidem indidit. Si veritati consonum est, quod refertur, visum in Silesia, & Viennensi in Aula culmum unum, qui 15. hordei spicas ferebat, verisimile est 14. feminis granula, majuscule grano inclusa sensim illo cum culmo evoluta fuisse. Visum quoque, pomum ex alio crevisse pomo, malum citrinum ex alio malo citrino, malum limonium ex alio malo limonio (h) pirum media sui parte ex alio progerminasse piro (i) rosam ex alterius rosæ gremio effloruisse. Microscopio observata sunt tria uno in frumenti grano germina seu tres plantulæ suis cum radicibus & foliolis. (k) In frumento secundario quatuor germina, octo in grano hordei; in modo ex unico frumenti grano 400. germina pullulasse feruntur. (l)

A 4

ARI-

(h) *Miscellanea curiosa Acad. nat. curios. Tom. I. obs. 38. p. 120. & 121.* (i) *Obs. D. Perault. Ephemer. Erud. 1675. Jun. p. 166.* (k) *D. Leuwenhoek continuatio epist. ad Reg. Soc. Lond.* (l) *Rajus Hist. Plant.*

ARISTUS. Necesse est igitur, primam cuiusque speciei plantam omnes reliquas suo jam sinu complecti, sive quæ natæ sunt, aut quæ nascentur, ut adeò consequens sit Authorem naturæ in quovis etiam minimo semine: infinita seminis granula coadidisse.

EUDOXIUS. Sufficit, DEUM primæ plantæ indidisse omnes illas, quæ aut natæ jam sunt, & ad mundi finem usque nascentur; ut necessarium non sit hunc numerum esse infinitum.

ARISTUS. Si verum est, fungos sine semine nasci, incassum tanto numero plantas, easque jam formatas uni seminis granulo includis, quod autem sine seminis adminiculo succrescant, inde arguo, quia ex fimo derepente nascuntur, atque ut planius dicam ex equorum stercore; ubi etenim ex ejusmodi fimo terræ insperso fit areola, eaque irrigatur, certo temporis intervallo exacto areola fungis abundare videbitur.

EUDOXIUS. Si dantur granula seu semina minutissima & dispersa, quemadmodum minima reperiuntur insectorum oacula; si granula ista opus habent quibusdam succis, ut se se evolvant, sequitur ex solo modo, quo Parisiis fungorum genesis procuratur, dari quoque granula, seu fungorum semina dispersa, equorumque stercora esse veluti terram aut materiam fungorum

germinationi per quam accommodam; at qui verosimile est dari ejusmodi granula seu semina dispersa, quæ aliud non expectant, quam aptos succos, & opportunitatem se se explicandi: unde enim, quæso, provenirent papavera nigra, quæ in adustis Occitaniæ fabuletis, in Provincia Salorum, & in Insulis Archipelagi nascuntur, unde illa plantæ species, quæ post Londinense incendium ultrà ducenta agri jugera operuit? nisi dicamus novi succi novarumque affectionum ope, evoluta esse semina hinc inde dispersa. Mille casus fortuiti transferre possunt seminalia isthæc granula, ipsa eorundem exiguitas ab externis injuriis tuta ea reddit, conservat, ac magis ad congruos succos diligendos, recipiendos. que disponit.

ARISTUS. At verò haud infrequenter quibusdam in plantis figuræ animantium, muscarum, apum, avium, aquilarum, quin hominis quoque lineamenta reperta sunt. (m) In Tartaria trium pedum altitudine planta vervecis figuram refert (n) quæ vicinis plantis nutriri videtur, attrahit enim protensis suis radicibus succos ab iisdem, & nutrimentum. Si hæc figuræ, hæc lineamenta fortuito casu oriuntur, cur idem de plantis non dicimus? ELL.

(m) Schottus Mag. univ. part. I. p. 185. (n) Idem Mag. univ. part. 4. l. 4. p. 437.

EUDOXUS. Casus fortuitus tam stabiles effectus, & velut ad normam elaboratos in lucem proferre nequit. Certè manus illa, quæ plantas procreavit, ea linearimenta eas figuras contractiori structura iisdem inseruerit.

ARISTUS. Fateri cogor Eudoxe! tuum systema verosimile saltem videtur, ac ejus ope ex naturæ legibus ortum, & vegetacionem plantarum explicari posse arbitror.

EUDOXUS. Examinemus primùm succos, tum verò plantas sua velut sponte nasci videbimus. Succi, quibus plantæ nutrituntur, sunt humus, olea, salia, & præprioris aqua. Has etenim partes destillatæ nobis plantæ offerunt, satisque in comperto est, quantopere plantarum incrementum aqua promoveat. Supra fornacem hyberno tempore collocantur ampullæ vitræ, aqua plenæ, superficie aquæ committuntur Tuliparum, Anemonum, aut Jonquillarum &c. cepæ; calor ignis communicatur aquæ, quarum partes agitatæ cepas penetrant, evolvuntque radices & caulem, videbuntur in aquam descendere radices, caulis erigi, mediisque hyeme progigni flores.

Vin' ut lactuca celerrimè succrescat? ex terra porola, quam Ægyptiacam appellant, oblongo collo vas fiat, aqua repleatur; extimæ vasis superficie humecta raparum,

rum, nasturtii, aut aliorum leguminum grana applicentur: urna transpirat, aqua illius poros trajiciens percolatur, evolvit grana, alimentum iis & vitam affert, denique ad intuentium stuporem in extima superficie duriusculi vasis crescent legumina, quæ minori celeritate in areola optimè culta nascerentur. Diversa igitur salia per aërem dispersa, vaporibus deinde ac pluviis permixta terram usque ad plantæ radices penetrant, particulásque terrestres dilatant; particulæ ejusmodi unâ cum salibus, & aqua, proprii ac communes plantarum succi reputantur. Quercus, juxta D. Bradlei cal. culum, donec centesimum ætatis annum seu perfectionis ultimæ gradum attingat, ex diversis his principiis quingenta viginti quatuor millia librarum suum in alimentum haurerit. (o)

ARISTUS. At verò celebre Vanhelmontii experimentum plantas solâ aquâ nutriri demonstrat. Accepit 200. libras terræ in cibano desiccatae, in hac, postquam aqua pluvia eam irrigasset, salicem quinque librarum pondus exæquantem plantavit, terram prædictam vase undique clausit, relictis in suprema tantum parte foraminibus ejus molis, quæ aëris ingressum admittit.

(o) *Descriptio Philos. oper. nat. 1721.*, Item, *Mem. Lit. Mag. Brit. Tom. VIII. p. 496.*

mitteret, terram vasī reconditam aqua pluvia per intervalla rigavit; quinque annorum spatio exacto salix 165. ponderabat libras, terra iterum desiccata, ducentis libris etiamnum pondere par fuit. (p) Nonne evidens est atque perspicuum, plantam hanc solā aquā enutritam?

EUDOXUS. Minimè id quidem. Nam 1. satísne compertum est, terram, postquam clibano commissa fuit, eam siccitatem, quam priùs habuit, deinde retinuisse? 2. aqua pluvia nunquid terrestribus mixta est particulis, has etenim pluviæ aquæ in piscinarum & lacuum fundo deponunt, 3. Pulveres, ac diversa salia, quæ aér circumvehit, absque dubio vasī foramina, quantumvis angusta trajicere valent. Experimentum igitur isthuc nondum demonstrat, plantas solā aquā nutriti. An simus tantam agris fœcunditatē conciliaret, si nullos iisdem suppeditaret succos?

Accedit, quòd iisdem succi diversissimas plantas nutriant, juxtāque variam, quam in plantarum vasculis recipiunt configurationem, varios quoque fructus proferant. Insere, si lubet, piri hortensis ramusculum in pirum silvestrem, seu non sativam, idem succus, qui in postrema nonnisi exigua, in grati-

(p) *Du Hamel de corporum affectionibus*, p. 52. Item *Ephemeris Eruditiss. 1671. 30. Martio* p. 14.

gratique saporis pira elaboravit, trajectus insurculi insitivi ramusculos maximæ molis ac exquisitissimi gustus fructibus abundabit. Oppositum experiere, si piro hortensi, silvestris Piri ramuscum inferueris.

ARISTUS. Experimentum istud alio quoque roborari potest. Si enim vas quodiam octo aut decem libris terræ repleatur, tria, quatuorve plantarum millia diversæ speciei ex eadem terræ portione, & aqua pluvia, qua irrigabitur, nutrimentum trahent. At verò isthæc terræ & pluviæ tantilla portio, quā sufficeret in tam varium tot plantarum alimentum? Sanc, opus foret, ut terra aquæ pluviæ juncta 400. aut 500. librarum pondus redderet, cùm tamen pondere suo vix libris viginti par sit. Diversæ igitur speciei plantæ iisdem succis nutriuntur.

EUDOXUS. Principiis his constitutis, haud ægrè plantarum genesis, ac vegetatio intelligi poterit. Plantula suo jam in granō seu semine, ut plurimū ante etiam quām se se explicet, sua gaudet radicula, caule, foliolis, pulpa in geminos divisa lobos, caulis, & radiculæ extremitati quodam veluti filamento innexa. Succi nutrientes vi gravitatis impulsi, motu liquidis corporibus proprio, actione elaterii aëris ambientis, aut ope cujusdam fermentatio-

nis in granum se se insinuant, plantulæ pul-
pam penetrant, inde caulis & radicum fi-
bras, folia, quoque insensibili adhuc mole
implicita tubeunt, quō sit, ut intumescant
radices & folia, atque indirectum flectan-
tur, quemadmodum contingit, dum aér in
tubulum tortuosum, & flexilem immittitur.
Hac ratione evolvuntur radices & folia di-
rectionibus oppositis, perfectaque demum,
& absoluta plantæ figura oritur. Atque ista
propriè est plantæ genesis.

Plantarum ortus in phaseolo ipsis sensi-
bus percipitur. Faba hæc geminis constat
lobis, qui ejusdem corpus efficiunt; plan-
tulam præterea duobus illis inclusam lobis
continet. In plantula observare licet cau-
liculum utriusque lobo, totidem tubulis veluti
vinculis illigatum. Una caulinuli extremitas
in cuspidem definit, vocaturque radicula;
altera mutuò implicata exhibit foliola.
Si æstivo tempore partem fabæ à suo ger-
mine remotiorem aquâ maceres eadem hu-
mectis in lobis, non paucas seminis, seu ma-
teriæ loborum particulas secum deferet,
perque tubulos in caulem transibit, atque
in radicum & foliorum fistulas influet. Pau-
cis post diebus evolvi primùm, deinde ex-
tendi, demum explicari radices videbis.
Caulis extima pars in radices convertitur,
& in aquam se se demittit, atque ut pri-
mùm

mùm eandem attigit, sugit, inque caulem ac folia trajicit, quæ omnia successu temporis magis, magisque evolvuntur, explicantur, ac extenduntur. Idem observamus in grano seu semine cucumeris, peponis, & cucurbitæ. Hac aut simili ratione cæteræ quoque plantæ nascuntur.

Dum germen terræ commissum est, pulpa aut semen aqua imbutum perquam tenui alimentum principiò suppeditat, donec eas iam radices egerit, quæ ad trahendum, & digerendum crassiorem succum aptæ sunt. Radix itaque stomachi vices in plantis obit.

ARISTUS. Verùm cur plantæ radix in terram se insinuat, cum interea caulis emerget, & horizonti ad perpendicularum constituitur? species quædam, si fas est dicere, affectionis id videtur. Nam frequenter sub initium radix in altum excrescit, & caulis deprimitur. Radix denuò curvatur, ut terram attingat, quemadmodum observatur in phaseolo, caulis velut cubitum format, ut in sublime eluctetur.

D. Dodardus in florum vase terra replete senas plantavit glandes hac ratione, ut germinum apices, quantum fieri poterat, ad perpendicularum assurgerent. Duobus mensibus elapsis, cum è terra glandes erueret, radices inflexas & vasis fundum spestantes deprehendit: diceres: Botanici do-

lum

Ium eludere eas voluisse (q) Quis quæso radici, & caulinco oppositas adeò propensiones indidit? Isthæc plantarum directio paucorum occupat animum, quia quotidiana res est; attamen prodigio simile reputatur, quamprimum cominus, & Physicorum modo inspicitur.

EUDOXIUS. Verosimile arbitror, radicis poros, & tubulos ampliores esse, quam caulis. Nam ut recepta fert opinio, radix stomachi vice in plantis fungitur, quando igitur nutritii succi è pulpa per canaliculos seu fibras in plantulam influunt, necesse est, ut succi crassiores in radicem, tenuiores in caulem transeant.

Hoc posito: seu plantula recto, seu inverso situ terræ committatur, fiet 1. ut radix flectatur, & in terram se se intrudat; nam pars plantæ gravissima crescendo, terram versus flecti debet, excessus gravitatis propriæ hunc ei situm tribuit, atqui radix gravissima plantæ pars est, crassiore etenim succo turget. 2. Caulis econtra in sublimi eluetabitur, siquidem eam directionem sequetur, quam subtilioribus à succis accipit, defæcatiores nempe succos tantum atrahit, hi verò succi, quemadmodum vapores terrestres partim ab aëre, partim à materia ambiente, partim, fermentationis ope

in

in sublimè feruntur, & caulem, qui ejusmodi succos recipit, recta in altum excrescere faciunt. Denique succi crassiores, cum sub initium strictiores caulis poros ingredi nequeant, eandem versus terræ superficiem impellunt; grandiores verò radicis tubulos ac poros dum penetrant radicem in terram deprimunt, & desigunt.

Ubi radix terram attigit, eique jam adhærescit, succi digesti, & in radice, quam ab infima ad supremam usque partem pervadunt, tenuiores redditi, dum in fibras caulinuli, veluti totidem in capillares tubulos via recta intruduntur, eundem caulinulum horizonti ad perpendiculum crescere faciunt; fere ut materia magnetica chalybeam acum recta pervadens propriam ei directionem impertit. Similem quoque directionem planta obtinet, idque tantò facilius, quoniam undique ambitur ab aëre, & pressio horizonti parallela omni ex parte æqualis est, ac fortior perpendiculari; Hinc ardoris candellæ flamma eadem ex ratione recta sursum fertur, licet candella horizontem obliquè respiciat.

Quæres fortasse ex me, cur plantarum caulinulus magis horizonti parallelus sit, quam radix, quæ non raro in terræ superficie veluti prorepere tantum videtur, quin adhærescat & immergatur.

ARISTUS. Nempe caulis, ut primum è terra emergit, ac liberiorem attingit aërem, nihil obstaculi reperit, quò minus ab imo ad summum crescendo feratur; radix verò, quo se se in terram magis insinuat, eò pluribus impedimentis occurrit, ne recta via humum ingredi valeat. Verùm qua semi-
ta ex radicibus succus nutritius ascendit? an per corticem vel lignum, aut medullam.

EUDOXUS. Vero simile arbitror, non per corticem tantum, sed per lignum juxta ac medullam. 1. Per corticem; nam arbores cavæ, quibus tantum ligni in trunko residuum est, quantum ad sustentandum corticem sufficit, virent tamen, atque fructus etiam proferunt; verùm si corticis partem in formam annuli rescideris, seriùs, aut citius arbor exarescet. 2. Per lignum; fibris enim constat ad perpendicularum rectis, quidni ex radice succum trahet? Sic lignum viride succo abundat. 3. Per medullam; ea siquidem spongiam similitudine refert, apta igitur ad sugendum alimenta liquida. Præterea succum per corticem, lignum, & medullam ascendere sequens factum demonstrat: dum mense Majo in Occitania oleas inferunt, corticem trium, aut quatuor digitorum latitudine circum ramos, aut trunkum linea horizonti parallela resecant, sic, ut paulò supra insitionis locum lignum ipsum suο

suo cortice nudatum pateat: rami superiores tandem emoriuntur, defectu certe suc- ci nutritii, qui per corticem ascendere solebat; verum non prius arescunt, quam eodem anno, ut alias folia, flores vero & frui. Etus in duplum protulerint. (r) Quibus viis tanta foliorum, florum, ac fructuum copia nutrimentum accepit, nisi per ligni fibras, & vesiculas medullae? Medulla plantarum, æquè ac illa quæ animalium ossibus continetur, exiguarum vesicularum congeries est, quæ ad percolandum, & elaborandum pro florum fructuumque nutrimento succum destinatae videntur. Hinc juxta Magnolii observationes, plantæ, quæ medulla abundant, uti Rosa, & Colutea, floribus quoque ac seminalibus granis abundant.

ARISTUS. In memoriam mihi revocas Ornum quam usurpavi oculis; ea sub veris exordium, tametsi ab imo trunko ad pedes usque suo cortice penitus spoliata, vernum nihilominus humorem undique protrusit, ac totius ætatis decursu nutriebat folia, verum minori, quam aliæ arbores vigore.

EUDOXIUS. Vis illa, qua vernus humor in altum propellitur, facit, ut ex trunko rami pullulent. Rami aliud propriè non sunt, quam plantulæ, ex principe planta protuberantes, quarum radices trunko ad-

hærescunt. Planta princeps compositum quoddam est ex innumeris plantis invicem similibus; unde si caulem vel caudicem terra circumdederis, omni ex parte radices protrudet. (s) Arbores cacumine resecto brevi tempore ramusculos in modum coronæ proferunt. Fici ramusculus terræ infossus radices agit, ac propediem perfectam in plantam degenerat.

ARISTUS. At quomodo pars fieri totum, seu ramusculus in arborem integrum evadere potest?

EUDOXUS. Cum intelligi nequeat organicas plantarum partes de novo fieri; ramus bene multas radiculas continet, quæ explicare se se, & evolvere non valent, nisi ab arbore separatae, in scrobiculum defigantur; terræ contactus, ac nutrimentum, quod inde proximè accipit, facit, ut radiculæ evolvantur, & patecant; atque hac ratione totum ex sua velut parte oriri conspicitur.

ARISTUS. Oporteret saltem ramos, cùm ad horizontem perpendiculares non sint, proprio pondere deprimi.

EUDOXUS. Id absque dubio fieret, nisi succi nutritii, quos recipiunt, & à quibus impelluntur, fortiori nisu surfsum versus urgeret, cùmque huic nisu magis cedunt rami directionem communiter obliquam obtinent,

(s) Hist. Acad. 1701. p. 239.

tinent, quæ propius ad perpendicularem lineam sursum quam deorsum versus accedit.

Rami tandem succis adjuvantibus protrudunt folia. Quamvis autem succum ex radicibus ramorum, & caulis ope attrahant, non parum tamen succi à pluvia, rore & vaporibus, quorum aër usque plenus est, obtinent: succus iste ad radices quoque ipsas propagatur. Nam 1. Folia æquè ac caulis modicis punctulis & filamentis constant, quæ totidem videntur parvi tubuli, fugendæ pluviae, & rori destinati. 2. Resecetur unus aliquis arboris aut herbæ v. g. Selini ramusculus, sola foliorum extremitas in aquam mergatur, ramusculus æstivo etiam tempore triduo, aut quatriduo virorem servabit. Ex balsami arbuscula, ramusculus diebus quindecim, & ultrà æquè viriditatem servat, ac sua in areola commorans, crescitque tantillum, cum tamen si aquam non contingere brevi tempore siccatus putrefieret. Exploratum igitur perspectumque habetur, nutritum succum per radices juxta ac folia plantas ingredi.

Putasne autem Eudoxe, humorum vernum, ut præstantius elaboretur, in plantis, velut in animalibus sanguinem circulare?

EUDOXUS. Si idem ille humor alterno in plantis motu ascendendo, & descen-

dendo fertur, is in morem sanguinis circumagitur; atqui 1. ascendit, & descendit: nam ubi duorum Carpinorum caudices aliqua in parte suos ita conjungunt cortices, ut ex uno in alterum succus immigret, si Februario mense alterutrius caudex duobus infrà juncturam pedibus abscindatur, rami laterales, qui sunt sub corticum junctione, non minus qui supra visuntur, verno tempore geminas, & folia protrudunt, velut si à radicibus proprii caudicis alimentum sumerent; necesse est itaque, per eam caudicis partem ubi junguntur caudices succos à ramis in radices descendere, qui prius à radicibus in ramos ascenderant. Et verò selligatur arbor, quæ crassioribus polleat radicibus, ac quorum una sesqui altero pede extra terram prostet, si eandem quatuor ab humo digitorum intervallo rescindas, exarescet utique, nisi descendenterem versus radices succum excipiat, nullam enim amplius cum terra communicationem habet, atqui radix illa, licet ab humo separata, ramulos tamen & folia anno altero proferet, igitur idem vernus humor in plantis ascendit & descendit.

2. Vernus ille humor, descendit, atque iterum ascendit. D. Perault complures eisdem speciei plantas cum radicibus evulerat, unam ex iis deinde accepit, cuius

cau-

caulis in gemina erat divisus brachiola, eāmque ita in aquam immersit; ut alterius foliummodo brachioli extremitas liquorem contingenteret, hæc planta viorem suum servabat, cum aliæ penitus interea succum omnem deperdebant; imo alter ejus ramuscus, et si aquam non attigerat, novis luxuriabat foliis. Unde conjectaneum est, vernum humorem in plantis circulare; atque ita Peraultus, Mariottus, Malpighius opinantur, viri in scrutandis naturæ arcanis, acri ingenio & exorreto. Poëta quidam modernus juxta, ac celebris (t) succos in plantis, quemadmodum humano in corpore sanguinem circumagi afferit, dum canit:

*Succus enim tenues subit abs radice meatus
Pervaditque comas, & vertice lapsus ab alto
Circuit, ac latè plantam defertur in omnem
Sanguis, ut humanus circum vagus irrigat artus.*

ARISTUS. In plantis re ipsa videre est canaliculos ascendentes, & descendentes. Illi serviunt ad deferendum ab imo sursum puriore subtiliorēque succum; isti ad crassiores & magis aquosum liquorem à summo ad imum deportandum faciunt. Quòd quām sit consentaneum veritati, facile patebit. Accipiatur enim frustillum ramusculi ex Ormo, nodis non aspertum, tri-

bus circiter longum pollicibus, cuilibet extremitati annexatur infundibulum ex cera, ramusculus deinde bifariam secetur, atque utrumque infundibulum aqua repleatur. Aqua in frustillum ligni, cuius extremitati, quæ ramos respiciebat, infundibulum affixum est, defluet, unde perspicuum fit, aquam trans ramos ad radices delabi; in altero verò frustillo, cuius in parte opposita infundibulum adhæret, aqua non permeat, igitur à radicibus versus ramos non fluit, contra verò spiritus vini per illud celeriter destillat, per quod aqua percolari non poterat. Vero simile igitur videtur, liquorem qui à radicibus ad nutriendum caulem, ramos, & folia progreditur, in ascensu majorem copiam subtiliorum partium secum vehere; cum autem in variis plantæ locis, subtiliores illæ partes deponantur, necesse est, ut deinde crassiusculæ partes, aquis vaporum, pluviae & roris permixtæ delabuntur, idem igitur liquor ordinata vicissitudine in plantis ascendit, & descendit, ut iisdem conveniens alimentum præparet. Manifestum quoque fit, succum priorem fibra rum lignolarum ope in ramos deferri, eundemque ab utriculis nondum probè digestum versus radices devehi, à tracheis denique expeditari aërem, ut expeditior fiat succorum circulatio.

Si fidem Bradleo habemus, (u) qui plan-
tarum quarundam incrementum ad calcu-
lum revocavit, earum aliquas reperire est,
tam celeriter succrescentes, ut verni humo-
ris circulatio velut conspici possit. Ope
siquidem excellentis microscopii in cucur-
bitæ citrinæ folio splendenti soli obverso,
circuire vernum humorem vitamque cum
nutrimento in plantam deferri videbis.
Motus humoris istius velocior deprehende-
tur, quam indicis, qui in pendulo horæ mo-
menta designat; denique planta tibi velut
sub aspectu crescere videbitur.

EUDOXUS. Succorum circulatio effi-
cit, ut tandem flores, & fructus in lucem
prodeant. Actio succorum flores & fru-
ctus è ramis protrudit, eosque nutrit, in-
ferendo in illorum fibras succum subtilio-
rem, ac magis elaboratum.

Folia ipsamet succos pro floribus atte-
nuare videntur. Flores squidem à foliis
obtinent, quod eadem purius ac delicatius
possident. (x) Unde dum flores magna
copia explicantur, multicunque odoris dif-
fundunt, folia odore carent; ex adverso,
ubi flores deficiunt, folia sunt odorifera.
Quapropter folia, simul ac subnascentes in
flores puriorem succum trajicere valent, cra-
siorem sibi relevant.

ARI-

(u) *Descript. Philos. Oper. Nat.*, 1721. (x) *Juxta
Observ. Conig. Resp. Lit. Tom. X.* p. 1048. Octob. 1688.

ARISTUS. Satísne perspectus est florū usus?

EUDOXUS. Flores destinati sunt ad subministrandum brevi temporis intervallo floribus nascentibus præstantius alimentum, quō plantæ denique elaborentur, earum siquidem plurimæ florū defectu pereunt. At verò peculiare colloquium de generatione, cultura, & fœcunditate plantarum, quis sit florū usus nos docebit uberiùs.

DIALOGUS II.

DE

Generatione fœcunditate, &
Cultura plantarum.

EUDOXUS. Plurimi oculorum tantummodo & odoratūs lenocinia aucupantur in floribus. Curiosior quispiam odo-re, structura, foliorum pulchritudine, splendore, & varietate colorum capitur. Naturalium verò rerum scrutator, nobiliores in floribus affectiones, & observatu digniores reperit. Scis Ariste! fructum esse seminis integumentum, semen continere plantam naturæ opera ad speciei propagacionem jam præviè formatam. Verùm tibine persuaderes, ad frutionem æquè, ac ad germinis emissionem necessarios esse flores?

ARI.

ARISTUS. Paradoxum isthoce est, quod explanari meretur. Quæso hac super re animi tui sensa aperi: ne metue, loquenter filum non interrumpam. Summam profectò tuis ex sermonibus voluptatem capiam.

EUDOXUS. Flores ut plurimum feliis calice, stilo, staminibus, & staminum apicibus constant. Calix tegumenti vices obit. Florum folia sunt partes porrectæ & circa granum seu semen constitutæ. Stylus tubuli cuiusdam speciem refert, qui ab imo ad medium foliorum regionem protenditur. Stamina sunt filamenta quædam circa stylum in floris fundo nascentia, desinuntque in structuræ differentis extremitates, quas apices appellant. (y) Exemplo sit Tulipa Fig. 2, ea sex constat foliis. Ex imo, & meditullio horum foliorum caulinus cavus assurgit A. is stylus est. Circa hunc in orbem disposita videntur tenuia quædam filamenta, quæ in floris fundo nascuntur, vocanturque stamina B. Staminum extima portio crassiuscula, sunt apices C. Calyx præcipuarum floris partium primum integumentum est; folia ab aëris injuria easdem defendunt, pistillum seu stylus granorum embriones continet, quorum veluti ovarium videtur; staminum apices vesiculos

re-

(y) Memor, Acad. 1711. p. 210.

referunt, quæ, dum maturescunt, mutuò se se explicant, ac pulverem quemdam juxta plantarum varietatem aliter atque aliter configuratum diffundunt.

His ita constitutis: si apicum pulvis fœcunditatem plantis conciliat, præcipuum generationis plantarum organum sunt flores, atqui ab illo pulvere fœcundæ redduntur plantæ: siquidem D. Geofroy observavit 1. plantas cognitas, saltem terrestres fere omnes, seu eodem seu separato in petiolo suum habere apicem, suum pulverem. 2. Apices & pistillum, si eidem floris petiolo junguntur, ejusmodi constanter situm obtinent, ut pistilli extremitas necessariò pulverem apicum se se aperientium excipiat. In floribus inclinatis, ut in corona Imperiali pistillum ultrà stamina longius ex crescit, quo fit, ut deciduus ex apicibus pulvis necessariò quoque pistilli extremitatem inspergat. Denique pulveris hujus defectu embriones granorum abortiunt. Sic quoque dum frugiferarum arborum flores pruina obsitæ solaribus radiis verberantur, exciscatur pistillum, ac incidentes ex apicibus pulveres excipere nequit, conceptásque hortulani spes uno velut momento eludit. Si uredo, aut pluvia florentes segetes depravat, vel apices decidere facit, aut granorum cellulæ vacuæ, aut grana infœcunda repe-

reperientur. Si florentibus vineis abundantior pluvia ceciderit, pondere, & actione aquæ, apices, & pulvis decutiuntur, viti-busque roratio accidit. * Si stamina eidem petiolo plantæ adnascentia, antequam se se explicent, rescidantur, fructus vel non maturescunt, vel licet ad maturitatem perveniant, steriles sunt; igitur præcipuum generationis plantarum organum rectè statuuntur flores.

Partes generationi plantarum destinatæ, & modus: quo grana fœcundantur, in lilio præ cæteris floribus sub sensu cadunt. Enī lily, quod opportunè se nobis offert, vide sis Ariste tenerum hunc, viridēmque caulinum, qui ex floris hujus gremio asurgit? Pistillum est, in interioris cavitatis fundo vesiculas, seu ovula continens, ea vocamus grana. Superior pistilli extremitas in tres cuneolos rotundos ac fissos definit. Circa pistillum conspicuntur fila quædam alba, quæ materiam flavam sustinent: alba illa filamenta appellantur stamina, flava materia sunt staminum apices, in his flaves reperitur pulvis, qui contrectatus adhæret digitis, pulvis iste seminis species est, quod per superioris extremitatis ostiolum decidens grana fœcunda reddit.

Di-

* Roratio Gallicè coulure, Das Ubfallen der unszeitigen Weintrauben,

Diceret plantarum plurimas utrumque sexum uno eodemque in flore continere.

ARISTUS. At quomodo cum hoc systemate conciliaturus es eas plantas, quarum aliquæ flores quidem proferunt, fructibus vero carent, aliæ fructibus gaudent, floribus sunt destitutæ, aut quarum stamina & apices innituntur petiolo separato ab illis, qui fructus gerunt?

EUDOXUS. Pulvis unius floris fœcunda reddit alterius grana separata, imo longè etiam dissipata. Inde ortum est, ut aliquæ plantæ appellarentur mares, aliquæ fœminæ. Plantæ, quæ flores proferunt, & alias fœcundant, vocantur mares, aliæ quæ tantummodo fructus ferunt, atque à prioribus fœcundantur plantæ fœminæ nomen obtinent. Nisi Palma fœmina vicinum mare, aut saltum non nimium distantem habeat fructus nullos in lucem proferet, aut immaturos, aut saporis injucundi, sine nucleo, & germine. Atque hac de causa plantæ mares in vicinia fœminarum plantari consueverunt, aut certè rami aliquot à mare recisi, apicibusque jam evolutis instructi supremis Palmæ fœminæ ramis illigantur, sic etenim Palma fœmina uberem, & gratissimi saporis fructuum copiam est datura.

ARISTUS. Verum quō vehiculo pulvis ex uno in fructus alterius petiolum deferetur?

EU-

EUDOXUS. Aëris agitacione seu vento. Factum aliquod notatu dignum id abundè comprobabit. Si Poëtæ cuidam fides adhibenda: geminæ erant palmæ, quinque ab invicem & decem leucis dissitæ. Una, scilicet mas Brundusii, altera, nempe fœmina, Hydrunti visenda. Palma Hydruntina pluribus continenter annis carebat fructibus. At ubi primùm supra ejusdem silvæ arborum vertices crescendo eminuit, fœcunda fieri, fructusque grati saporis, & abundantes proferre cœpit. (z) Scilicet, quia eo in situ cæteris arboribus non jam impeditibus staminum pulverem palmæ masculæ fructuum embryones excipere poterant. Malim etenim tam celebris facti originem vento, & staminum pulveri, quam cum Poëta illo amori, & sympathiæ utriusque sexus arborum adscribere.

ARISTUS. Necesse est igitur, Eudoxe! ut staminum pulvis, quem sulphureum esse odor demonstrat, subtilibus, ac penetrantibus partibus constans, dum in pistillum, quō fructus clauditur, incidit, resolvatur & penetret pistilli ac fructus substantiam, atque hac ratione denique efficiat, fermentationem, quæ apta sit, ut plantula grano inclusa se evolvat, & germen emitat.

EUDOXUS. Sanè ut videtur, inde genera-

(z) Memor. Acad. 1711. p. 228.

nerationis plantarum & fœcunditatis principium est. Quæ fœcunditas dignum admiratione spectaculum, hominūmque oculis expositum fere negligitur. Attamen sagacitatem quorundam Botanicorum non effugit, qui summam minimis etiam in granulis fertilitatem deprehenderunt. Rajus (a) ex uno tabaci grano plantam oriri afferit, quæ tercenta ac sexaginta granorum millia continet. Dodardus Ornum 12. circiter annorum elegit, cuius diameter sex pollicum mensuram æquabat, altitudo ad ramos usque erat pedum 20. Refecari fecit ramum octo pedes longum, eo in ramo 16450. grana numeravit. Hoc posito, ejusmodi arbor quindecim mille, octingenitos quadraginta milliones granorum ab invicem perfectè separatorum complectitur, non numeratis iis, quæ quodlibet granum continere, & quod consequens est, alterum tantum saltem producere potest.

Seminarium prodigiosum! siquidem ormus cuius diameter sex pollicum sit, decem utique ramis, octo pedes longis constare potest, proferet igitur grana 164500. cæteri rami simul sumpti totidem certe grana valent producere, ut adeò granorum omnium numerus futurus sit 329000. Duodecim annorum ætas nondum ormo mediæ

fœ-

(a) Hist. plant. Aud. Rajo.

fœcunditatis tempus est; quare si demus eandem uno fœcunditatis mediæ anno 330000. granorum proferat, illa centum annorum decursu singulis annis 330000. grana in lucem emittere poterit; multiplicentur jam 330000. grana per 100. annos fœcunditatis, granorum numerus æquabit 33000000. Recidantur pullulantes rami ad truncum usque, ejus extremitas in altitudine sex circiter linearum tot ramuscum protrudet, quot erant antea. Quacunque tandem in parte ramos recideris, æquabiliter iterum renascentur; quemadmodum pumilis arboribus accidit, quæ planam tere ad humum interlucantur. Quocirca si truncus arboris à terra ad ramos usque in annulos sex lineis altos divisus intelligatur, quivis annulus continebit totidem ramos invisibles, & in his totidem grana, quot ii rami, qui re ipsa perspicui jam sunt, continent. Tota igitur ormus toties 33000000. granorum numerum complectitur, quoties sex linearum altitudo in trunco viginti pedes alto comprehenditur, atque adeò in ormo, licet sensus nostros effugiant erunt 1584000000. grana. Quid ajo? singula ex his granula integrum ornum continent, quæ eundem numerum efficiunt, una igitur ormus tot grana complectitur, ut eorum numerus sit propemodum infinitus.

ARISTUS. Fatendum est Eudoxe ! imaginatio rationem ad immensum hunc calulum perducit, sed in eodem denique velut absorbetur.

EUDOXUS. Verum omnibus perpensis mirumne videatur, potentiam, & sapientiam DEI, quæ limites nescit, undique *Infiniti* vestigia impressisse ? documentum ejus rei certissimum est plantarum fœcunditas. At ista quoque opportunè hoc loco quæstio agitari potest : cur ad procurandos arboribus sapidiores, & abundantiores fructus insitione sit opus ?

ARISTUS. Ejus rei causam quantocyus intelligam, si materiam hanc pro ingenio tuo pertractaveris.

EUDOXUS. Inoculare arborem, est alterius in eam arboris surculum inserere sic, ut ambo, una planta evadant. Inoculandi ratio habetur varia. In fissuram, seu in medullam inserere, est findere arborem, & surculum in fissuram immittere. In alburnum, vel ad corticem insitio fit, surculo intra corticem, & lignum aptato. Scutulata consitione arbor inseri dicitur, dum ex ea scutulum, aut palmes, cum parte corticis cui adhaeret excinditur, & alteri arbori applicatur. Specie quadam emplastri inoculatae arboris plaga contingit ; tum, ne vulneri incumbens aër, exsiccat fibras, ineptásque red-

reddat, ad trajiciendum, aut recipiendum succum, tum etiam, ut idem succus verno tempore copiosè ascendens, probéque inclusus dissipari nequeat, tum denique ut aperta jam insiti vascula intumescere faciat, continuatōque in insitum trajectu unam ex utraque plantam efformet.

ARISTUS. At qua de causa, insitum eosdem fructus, ejusdémque saporis profert, ac arbor unde decerpsum fuit?

EUDOXUS. Nimirum fructus proficiuntur ex surculo, qui illius arboris, unde excisus fuit, grana continet, & succus, qui per insiti fibras fluit eandem cum eo configurationem aquirit.

ARISTUS. Fructus insiti sunt sapidores.

EUDOXUS. Succus, quō nutritur insitum, defæcatior est, nam ope fermentationis tenuior redditur, non tantum in trunco, sed etiam in surculo insito, cuius varia est textura, partésque magis constrictæ, seu ad purificandum succum aptiores.

ARISTUS. Denique arbores insitæ, ut plurimum, cæteras fœcunditate superant.

EUDOXUS. Id ex eo provenit, quia pro inoculatione communiter feliguntur arbores, quarum radices sint porrectiores, atque adeò succosiores. Quid quod succus per insitum surculum percoletur, siac

purior, sicutque accommodatior ad proferendos, nutriendosque fructus. Cultura quoque plantarum fœcunditatem promovet, juxta proportionem, qua præparat, & dispensat succos nutritios. Cupis, ut insitiva scutula luxuriantibus foliis eodem inscriptionis anno sint conspicua, & efflorescentes rami probè stipentur? flores deme; sic vernus humor, nec floribus, nec fructibus nutriendis occupatus, quantus quantus est proferendis ramis deserviet. Si ramusculus insitivi scutuli octo jam aut novem pedum altitudinem attigerit utile fuerit extimas ejus partes refecare: vernus etenim humor illis locis desiccatis, & ulterioris incrementi incapacibus detentus, magnum ramuscularum numerum pullulare faciet, uberrimos anno altero fructus daturum.

Placétne Ariste! ut proximo die diversis de plantis, marinis, & terrestribus, exempli causa de coralio, fungis, zinzibere, Faba arabica, seu Caffé, herbáque sensitiva tractemus?

ARISTE. Tu igitur de coralio, fungis & zinzibere disputabis, ego Fabam arabicam, herbámque sensitivam mihi reservo.

DIA-

DIALOGUS III.

DE

Plantis marinis, Corallo, fungis,
& zinzibere.

EUDOXUS. Vis igitur Ariste ! ut de plantis marinis, ac nominatim de Corallo, fungis, & zinzibere differere aggrediar ? obsequor i. quemadmodum suis mare refertum est animantibus, quæ à terrestribus non parum differunt, ita plantas quoque profert, ab iis, quas terra progerminat, perquam diversas. Plantarum marinorum aliquæ foliis instructæ sunt, aliæ iisdem carent. Plurimæ radicibus manifestis destitutæ sunt, durisque corporibus, conchylliis nempe, aut rupibus innascuntur, vel basi lubrica & polita iisdem adhærescunt. Plantæ illæ, quæ radicibus carent, quantæ quantæ sunt, radices meræ existimari possunt ; sic enim eas formavit natura, ut omni ex parte innumeris porulis alimentum trahant. Et verò plantæ marinæ, aqua maris ambiuntur undique, quæ iisdem nutrimento est. Certè, ut Microscopii subsidio observavit Marsilius. (b) Illæ plantæ aliud non sunt, quam glandularum congeries, quarum ope marina percolatur aqua,

C 3

vi-

(b) Hist. Acad. 1710. p. 72.

viscosique ac lactei succi pro earundem nutrimento separantur. In mari reperire est plantas saxosas, uti corallia. Corallium frequenter in suprema cavi alicujus saxi parte crescit, ramis, contra ac fit in plantis terrestribus, deorum porrectis. Durum intra eque, quam extra aquam deprehenditur.

Corallium principiō suae formationis liquidum fuisse, demonstrat, quod interiores concharum parietes crustae in modum non raro imbuat. Corallii superficies suo spoliata cortice canaliculis in ramorum extremitatem vergentibus undique proscissa est. Extima ramusculorum pars tumescit, atque in globulum efformata conspicitur, cellulas quoque acri, urente, ac glutinoso lacte turidas continet. Lacteus iste succus suis evolutus cellulis, & in aquam deciduus cum ea nequaquam commiscetur, verum obviis adhaerescit corporibus, iisdemque tenuissimam plantulam agglutinat, quae ubi se se explicuit, rubicundum primo exhibit punctulum, ut Tournefortius putat: (c) deinde plantam Coralii. Corallium albis instructum esse floribus detexit Marsilius; singuli flores suo petiolo, & octonis constant foliis; flores ex omni corticis tubulo egrediuntur. Si plantam hanc ex aqua subtraxeris, flores illico in suos tubulos redeunt,

si denuò mergas, intrà horæ non integræ spatium reflorescit. Accidit interdum, ut duodecim dierum intervallo pro libitu se se constringat & explicet, ac tandem flores ad aquæ fundum sub flavi globuli figura delabuntur.

2. Fungi sunt plantæ terrestres, quas naturalium rerum vestigatores observatu dignissimas judicant. Ut totius anni decursu habeantur fungi, duo areolarum genera construenda: in hortis unum, in loco campestri alterum. Ex areolis hortensibus à festo OO. SS. die ad Aprilis usque finem, è campestribus à Majo mense usque ad primum gelu fungos colligere licebit. Formandis areolis equino simo est opus. Pro hortensibus mense Junio simus acervatim congeritur, in Augusto ad pedis unius altitudinem eo loco explicandus, qui areolis destinatus est. Durante aestiva siccitate quinque aut sex continenter diebus humectetur simus, irrigatione peracta, ut aquam imbibat, furca vertatur. Rebus ita comparatis fiant areolæ triplici toro distinctæ; hictori aliis ex alio dierum quatuordecim, aut trium hebdomadarum intervallo extruantur. Primus torus latitudine duos cum dimidio, altitudine sesqui pedem æquet. Si tempestas vigeat paulò siccior tori indies irrigandi. Versùs Augusti dimi-

dium eodem equino stercore alter torus primum unius pedis altitudine excedens in gibbi formam extrinatur, supremaque in parte apte dispositus, identidem humectetur. Hic reparationis modus ab Hortulanis tertius torus appellatur.

Semitæ, quibus areolæ discriminantur, latitudine quinque vel sex pedes conficiant. Illt celeriter, ac abundè succrescant fungi, altè in areolas defodiantur fimi præparati, & Februario mense congesti frusta, eo ordine disponenda, ut inter eadem trium pedum intervallum relinquatur. Quô factô, areola terra communi, hæc equino iterum fimo obtegatur. Dum fungi protuberare incipiunt, albescit fimus, & haud multo post filaminibus albis, tenuibus, ramosis, implexisque persperitus conspicitur, neque fimus pristinum sed fungis proprium odorem diffundit. Isthæc filamina sunt germen fungorum; extremitas filaminum in globulum definit, qui sensim augescit. Marchandus celebris Botanicus Regiæ scientiarum Academiæ prima fungorum lineamenta in fimo equino mucrone exhibuit. (d)

Areolæ in locis campestribus Novembri & Decembri mensibus eriguntur in terra nova, seu fungorum procreatione antea non fatigata. Areolæ istæ ut plurimùm mense Majo

(d) Hist. Acad. 1678. p. 169.

Majo exacto ad primum usque gelu fun-
gos proferunt. Eorundem infima portio
exhibet pediculum illa parte, quâ terræ in-
hæret barbatum suprema ejus pars galericu-
li formam exprimit, subtus radiorum in-
modum foliis distincta est, laminæ siquidem,
quæ à centro ad orbicularē fungi ambi-
tum porriguntur sunt ejusdem veluti folia.
Verumne tibi videtur, quod de Hungaria,
& Croatia referunt, fungos iis in regioni-
bus tantæ magnitudinis repertos fuisse, ut
singuli onerando currui suffecerint (e) Ra-
pa decem librarum cum dimidia Warvici
in Anglia 2. Julii 1702. confita, & 21. Octo-
bris evulsa in comparatione istiusmodi fun-
gorum vix digna notatu est, nisi quod ejus-
dem crassitudo & incrementum prorsus sin-
gulare quidpiam habuerit. Uncia una se-
minis sexcenta supra quatuordecim mille
grana continebat, igitur semen ex quo na-
ta fuit rapa decem librarum cum dimidia
momentis singulis pondus suum quindecies
auxerat. Proh! quanta evolutionis celeri-
tas! (f)

Zinziber est planta pretiosa, perquam
rara, suamque ob radicem summo studio
quaesita. Radix ista plerumque crassisscu-
lis duobus ramis velut in furcam diducta

co-

(e) *Ephem. Erudit.* 1678. p. 176. 2. Maji. (f) *Me-
mor. Lit. Mag. Brit.* Tom. 1. p. 139.

coxendices humanas refert. Inde sinicum nomen *Gin. seng.* quòd coxendicem humam, aut simile quidpiam significat, originem duxit. Zinziber virtute pollet eximia: nativum calorem excitat, formicantem arteriæ pulsū corrigit, sanguinem reddit puriorem, languentem stomachum roborat. Quapropter zinziberum Sinenses vocant: herbam potentem, terræ animam, medicinam immortalitatis. P. Jartoux S. J. Miss. Sin. refert viros à se 10000. Tartaros hanc radicem colligentes. Sinarum Imperator zinziberum argento contra appenso mercatur, & quadruplo pluris suo in regno dividit. P. Josephus Lafiteau S. J. in Canada hanc plantam detexit. Et profecto vix alibi locorum quam in Canadæ ac Tartariæ silvis prodigiosa hæc radix reperitur. Missionarii S. J. suis in itineribus geminas magni sanè pretii plantas invenerunt: Zinziberum, & Quin-quinam.

Tuarum modò partium est Ariste explicare arborem fabæ arabicæ, juxta ac docere, qua ratione, quibüsque ex principiis naturalium rerum studiosus præstantem illum liquorem ex hujus arboris fructu obtineat?

ARISTUS. Parisiis in Regio plantarum horto hujusc speciei arbor visitur, sex circiter pedes alta, lata pollicem unum, ejus rami tota scapi longitudine protuberant, sic:

sic: ut bini sibi invicem sint cancellatim oppositi. Foliis perpetuò integris, & utrumque cuspidem desinentibus gaudent. Lauri foliis quām simillima videntur, nisi, quod ista illis latiora sint, ac magis acuta. Eorundem color postica parte subflavus, antica verò amoenissimo virore temperatus velut splendescit. Ex foliorum axilla germinant flores gratissimi odoris, singuli brevi petiolo innituntur, color iis albus in summitate tamen flavescentes. Flores in orbem dispositi stylum bifurcatum ambiunt, qui embrionem seu immaturum adhuc fructum in viridis calyculi fundo quiescentem altitudine superat. Fructus initio viridis, & pellucidus est, deinde subrubicundus, post perfectè rubeus, demum ubi ad maturitatem pertigit obscurum colorem præsefert. Geminò putamine, eoque subtili involvitur, totidemque semina in ovuli speciem figura ta continet. Hujus arboris fructus integer & desiccatus, appellatur. *Caffé in putamine*, semina verò suis involucris spoliata dicuntur: *Caffé purgatum*.

Hæc arbor in Arabia ad vadum Moka quadraginta pedum altitudine excrescit, scapi tamen seu trunci diameter quinque pollicum latitudinem non excedit. Floribus totius fere anni decursu ornata, binis, ternisque interea vicibus fructificat. Fabæ, si

fieri potest, dum recentes etiamnum sunt, terræ committi debent; ut observavit D. Juissieu in horto Regio. Hæc planta multiplici fœnore aucta, variis regionibus illata fuit, & in Americam usque penetravit. Eius usus in Turcia, Persia, Armenia, ipsaque in Europa per frequens est.

Usus fabæ arabicæ circa decimi quinti seculi dimidium duxit initium. (g) Arabs quidam in Persia coctam ex hac faba potionem usurpari vidit. In patriam redux, dum incommoda uteretur valetudine, eâ ipse quoque usus est, quam ipsissima virtute præditam deprehendit, quæ nobis patet. Famam ergo, & aestimationem huic fabæ conciliare aggressus est. Utimur hodiecum isthac potionē vigilandi causa, ad dissipandos vapores quibus gravatur cerebrum, denique ut gustui blandiamur. Mos hic Turciām penetravit; ibidem in singulas fere horas hoc potionis genus adhibetur, verū absque iacchari condimento. Quidam tantillum anisi adjungunt, alii Cariophylla aliquot, deliciarum amantiores guttam unam ex elementari ambræ cremore in singula pocula immittunt. Europa elapsō seculō hoc potionis genere primū delectari cœpit. Marsiliam 1657. faba arabica delata fuit,
pau-

(g) *De Orig. Fab. Arab. ex Mss. arabico Biblioth. Reg. item Ephem. Erud. 1699. p. 342.*

pauci tamen ea utebantur. 1660. frequen-
tior erat illius usus. Tandem circa 1669.
Parisios attigit (h) Medicis initio vehemen-
ter obstrepentibus, sed ejus usus jam ubique
receptus viget.

Vasa testea juniperino diluto illita & in-
crustata ad fabam hanc torrendam aptiora
sunt vasis ferreis, aut æneis, nam æris aut
ferri effluviis facile imbuitur. Si faba ist.
hæc tosta, præsertim in pulveres redacta,
evaporat, salia sua, &, quod consequitur,
vim omnem, ac efficaciam amittit. Quòd
debitos torrefactionis gradus attigerit, si-
gnum certissimum habetur, si janthinum co-
lorem præferat. Ut potio inde confecta
evadat amoënior, & salubrior, faba tosta
tunc primùm conterenda, dum adhibetur;
necesse quoque est, ut in aquam bullientem
immittatur, sic enim nondum avolârunt tan-
ta copia sales volatiles spiritibus fœti, qui-
bus suaviter gustûs organum afficitur, & ce-
lerior sanguinis motus procuratur. For-
tafse præcipuæ hujus fabæ vires, istis ex fa-
libus oriuntur?

EUDOXUS. Præcipuæ ejus facultates,
ut mihi quidem videtur, sunt: ciborum di-
gestionem adjuvare, hemicraniam dispelle-
re, dissipare humores, languores impedire,
somnolentiam avertere, ingenium ac me-

mo-

moriā confirmare; ut experiuntur ii, qui publicè verba faciunt.

ARISTUS. Faba arabica constat ex principiis volatilibus salinis juxta, ac sulphureis, ut nos docet, materia illa oleosa, quæ in ejus superficie inter torrendum apparet, simumque odor quem spargit. Ex his principiis oriuntur facultates, & vires, quibus isthæc faba pollet. Salia chylum incidunt, unde facilior redditur digestio; salia, & sulphur dum admiscentur sanguini, fermentationem causant, tubulos referant, humorēs que stagnantes efficiunt fluidos, quō fit, ut hemicrania, & languores dissipentur. Tandem particulæ subtiliores ad cerebrum delatae, vestigia, quibus rerum ideæ adhærent, agitant, ex hac agitatione menti aliæ ex aliis ideæ repræsentantur, ex quo oriuntur vigilia, firmatur memoria. Author tamen iis esse, qui sputo sanguinis laborant, aut quorum sanguis rapiditate nimia circuit, vel quibus properata est ciborum digestio, ut usu hujus potionis sibi interdicant. Acceleraret etenim digestionem juxta, ac sanguinis circulationem, & communicatis sanguini novis caloris gradibus, novas eidem vires tribueret, ut per apertos vasculorum meatus eluetetur. Hac ratione augeretur activitas ignis alioquin nimium violenti; ingens præterea spirituum copia avolaret è san-

sanguine, qui in cerebrum delati, ipsa nocte non dulcem somnum, verum ideas & imagines importunas, tranquillaque ac necessariæ quieti inimicas excitarent.

Planta pudica, quæ in Regio horto visitatur, peculiare quidpiam præfert, quod magis in admirationem me rapit. Diceret plantam hanc sentiendi facultate esse prædictam, nomenque sibi inditum jure optimo mereri. Vix enim digitus ad contactum huic plantæ admovetur ; cum illico se se contrahere folia, ac in ramusculos, ramuscui in scapum inclinari, & languescere, tota denique planta constringi adest, ut irrito labore eam extendere, & pristinæ figuræ restituere satageres, citius namque disceripit se finet.

EUDOXUS. An igitur pudoris, aut verecundiæ quoddam genus est, quo isthac planta contactum omnem tam pertinaciter refugit ?

ARISTUS. Minime id quidem : verum dum huic plantæ admovetur manus, subtilissima quædam effluvia ex digitis per transpirationem egrediuntur, quæ in plantæ fibras illata, succorum cursum impediunt, eorumque circuitionem sistunt, quod factò, intumescunt fibræ ac se se contrahunt, totaque demum planta stringitur. Ex hoc, ut arbitror principio oritur, quod tu hujus plan-

plantæ sensui fortasse tribuebas. Diceret fungum quoque marinum sensu præditum: contrahit enim se se, & corrugatur, dum eundem resecas. Fortè per recifarum fibra- rum ostiola spiritus quosdam recipit, qui- bus subito inflatur, tubulique contrahuntur, aut per eadem ostiola exhalant partes sub- tiliores unā cum aëre cuius elaterium sub ampliori prius volumine fungi corpus con- tinebat. Neque enim doloris causa con- trahitur. Certè illatum sibi vulnus non sen- tit, neque solius vocis defectu non gemit, & plorat. Olim quidem plantæ ipse cre- debantur animatæ. Platonis ætate, juxtā- que Magni hujus Philosophi mentem cæ- dem appellatæ fuerant; animalia radicibus fixa, & immobilia. (i) Quid ajo? homo ipsem, arbor inversa dicebatur à Platoni- cis. At verò sentiens plantarum anima ex moderna Philosophia exulare est iussa, pro- ficiente necquidquam conatu, studiisque quorundam hujus temporis Botanicorum (k) qui plantas anima sentiente donabant.

EUDOXUS. Fateor: planta pudica e- ximiis affectionibus pollet. Attamen Ephæ- merides Eruditorum Germaniam pretiosio- ribus longè plantis abundare referunt. (l)

Re-

(i) Platonis Philosophia Ficin. p. 620. col. 2. (k) Redi, Conig. Regnum vegetabile. (l) Ephem. Erudit. 17. Maii 1683. p. 143.

Reperti sunt nigellæ uvæ botri, qui rescin-
di vix poterant ob interserta argenti fila.
Vitæ in silvis argenteæ excreuisse virgulæ,
imò ex rupibus quoque prodiiisse. Aurum
nonnunquam in arborum medullis reper-
tum. Quid quod aurea fila è gleba divite
protuberantia vitibus se se implicuerint, &
in agro avenâ consito spicæ metalliferæ fue-
rint collectæ, Rudolpho Cæsari dono trans-
missæ.

ARISTUS. Mira narras, & quæ verisi-
militudinem vix præferant; nisi fortè di-
catur: succos à natura ad ejusmodi metal-
lorum formationem destinatos, terræ fer-
mentatione in plantarum tubulos fuisse in-
trusos, simili ibidem, antequam induruif-
sent, figura donatos; vel verò formatas
jam metalli particulæ unâ cum consuetis
succis in illas plantas immigrâsse, atque hac
ratione mutuò implexæ in tubulis variè
contextis, varias quoque plantarum figuræ
accepisse. A verò quoque non abhorret:
plantis immixtas esse ferri particulæ, tales
etenim Magnetis ope è plantarum cineribus
eruuntur. In Hungariæ Regno rivulus esse
fertur, qui folia quercina in cuprum vertit,
illæsa pristina foliorum figura. (m) nam
metalli hujus particulæ isthæc folia pene-
trant,

D

trant, dumque invicem junguntur, textura
foliorum se se accommodant.

EUDOXUS. Quod de foliis hisce af-
fers, in memoriam mihi revocat geminas
arbores, quas Abyssini: *Ensete* & *Tallipot* ap-
pellant. Videre mihi licuit, scribit P. Lo-
bo Missionarius (n) arborem, quan*m* vocant
Ensete; ejus folia tam sunt ampla, ut duo;
hominem quantus quantus est, probe con-
tegant. His foliis ornantur conclavia, ad-
hibentur tapetūm, mapparum ac linteorum
locō, colore sunt viridi elegantissimo. Ra-
mi seu crassiusculæ foliorum partes molâ
teruntur, farina inde prodit, per quam sub-
tilis, ac alba, quæ lacte permixta gratissimi
saporis cibum præbet. Truncus, & radices
überioris sunt nutrimenti, quam rami.
Truncus raparum in morem frustillatim scin-
ditur, & ad coquendam bubulam adhibe-
tur. Nobiliores quoque non infreque*n*
tus mensis hoc edulii genus inferunt. A-
junt Abyssini arborem hanc, cum cæditur
gemitum & suspiria edere. Hinc patria lin-
gua non dicunt: *eamus cæsum*, verū: *ea-
mus occisum Ensete*. In arboris hujus apice
valvulus bene longus protuberat, sexcentis
interdum ficubus dives. Tallipot arbor in
Ceilano Insula nascitur Altitudine & crassi-
tie navalem malum exæquat. Folia hujus
arbo-

(n) Relat. Histor. de Abyssin. p. 112.

arboris tantæ sunt magnitudinis, ut unum, quindecim, aut viginti hominibus obtegendi sufficiat.

ARISTUS. At verò folia *Thé* mole constant perquam exigua. Arbuscula, in qua nascuntur, magnitudine ad nostrates Rosas accedit proximè. Interdum plures habet caudices, sex circiter pedum altitudine, quorum crassitudo pollicem æquat; ex eodem omnes egrediuntur stipite, exiguis in summitate ramusculis divisi, & ceu Myrtum videres, ferti speciem exhibent. Caudex, & rami hujus arbusculæ ab humo ad verticem innumera foliola, in cuspidem desinencia, ac denticulata, quinque insuper diversis magnitudinis gradibus distincta ferunt. Foliola, quò ab humo remotiora, eo sunt minora; eò quoque majoris pretii, quò minora.

Thé Sintense in memoriam mihi revocat plantam, quæ summi nunquam non pretiū fuerit, in vetusto illo Regno, quod supra quatuor annorum millenarios ætatem suam extendit (o) Est ea quoddam arboris genus, castaneæ nostrati suppar magnitudine. Ceram integerrimam albissimamque subministrat, quam gustui, labori, ac industriæ quorundam vermiculorum in acceptis refe-

D 2

runt.

(o) Relat. de Regno Sin. Auth. P. Magellanes S. J., Mission. Item Resp. Lit. Tom. X. p. 1196. Nov. 1688.

runt. Animalcula isthæc fortè odore allecta arborem ad medullam usque perforant, eámque rodunt, digerunt, depurant adeò, ut candidissimam in ceram convertant. Hanc deinde per elaborata à se foramina protrudunt, quæ vento & frigore concreta ex arboribus superficie guttularum instar dependet, donec sedula manu collecta, Mandarinorum, Optimatum, ipsius denique Imperatoris usui deserviat.

EUDOXIUS. Cedrus planta pretiosa, & omnium seculorum memoria celebris habetur. Est hæc arbor Abieti similis, virore nunquam destituitur. Nempe firmior & aptè implexa foliorum structura succum rigidiori etiam hyeme vegetum conservat. Ex ligno constat candido, duro, interius sub rubicundo, corruptionis propemodum experte. In monte Libano (p) vicenæ hodieum Cedri, crassitudinis tam prodigiosæ videntur, ut condito orbi coævas crederes. Apex iis in turbinem acuminatus assurgit. Minores Cedri, quarum ingens ibidem numerus, pyramidis figuram exhibent; utramque lignum amœnum spirat odorem. Grandium Cedrorum truncus nonnisi sex pedum altitudi ne terram superat, ejus tamen molis est, ut stupendæ ex eo prolixitatis rami succrescant; cortice obteguntur poto,

lito, ac lævi. Majores cedri poma gestant odorifera, quæ ad magnitudinem pini fructus proximè accedunt, ex quibus gummi extillat, sudorifera virtute pollens, odore suavi præstantis quoque ad sananda vulnera balsami genus est, ab Ægyptiis olim condicendis demortuorum corporibus destinatum, ut hac ratione iisdem immortalitatem conciliarent, quam ligno cedrino tribuit natura.

Mumie, seu pissasphaltas bituminis erat species, quō demortuorum corpora condiebant veteres Ægyptii. Prope rudera antiquæ Memphis non pauca horum corporum in specubus, ac locis subterraneis, quadratis, & fornice coniectis reperiuntur; alia arcis ex Moro nigra, alia tumulis lapideis continentur. Balsamum interstitiis corporum insertum, dum aëri, aut ætheri transitum negat demortuorum corpora à corruptione libera præstat. (q)

Cupisne Ariste! arbores crassitudine trunci, & ramorum longè latèque patentium amplitudine celebres? Earum aliquas tibi exhibitura est Germania, quæ 27. pedes orbiculari ambitu numerant. (r) Arborēm in navigii modum excavatam, quæ ducentos homines rebus necessariis instructos ca-

D 3

piat

(q) Gemelli Carreri Memor. Trivult. 1721, p. 339.
 (r) Rhy. curios. part. 2. p. 1339.

piat in Congo reperies. (s) Alia, quam
80. homines vix circumplestantur in Sinis
videtur. Quercum tantæ amplitudinis ja-
stat Anglia (t) sub cuius umbra 1000. ho-
minum requiescere valeant. Juxta celebris
cujusdam Botanici relationem arbor, quam
indi *Cocos* appellant, sola ad construendum,
onerandūmque navigium sufficit. (u)

ARISTUS. Illa ego videre malem bipe-
dia arborum folia, quæ, uti quidam natu-
ralium rerum curiosi referunt, octo ipsis
diebus postquam decidere, obambulant;
(x) aut quæ in aves transmutari dicuntur.
(y)

EUDOXUS. Persuaderi quibusdam In-
dis aut Agrestibus Novæ Franciæ potuit,
certæ arboris folia loqui, ejusmodi enim
foliis, cultiores illius regionis homines ad-
scribendum utebantur, atque hac ratione
palam fiebat, quod Indi clam omnibus fa-
ctitatum putabant. Quare dum his foliis
inscriptæ iisdem committebantur litteræ ali-
quò perferendæ, si quod in itinere nequam
facinus patrare in animo habebant, occul-
tum fore arbitrati sunt, modò in terram
prius defodissent literas, aut remotioris ar-
boris cortice contexissent. At folia am-
bu-

(s) *Ibid.* (t) *Rajus Hist. Plant.* (u) *Respubl. Lit.*
Tom. IX., p. 352. (x) *Phys. curios. part. 2.*, p. 1336.
(y) *Ibid. p. 963, & 965.*

bulantia, aut in aves transformata fabellis adscribe. (z)

Plantæ etiam nobilissimæ, & quæ summo habentur in pretio, vegetationis suæ decursu, ut animantibus quoque usuvenire solet, suis affliguntur morbis. Plantarum igitur morbi proximæ interlocutionis argumentum sunt.

DIALOGUS IV.

De Morbis Plantarum.

ARISTUS. Quibus plantæ laborant morbis? quæ eorundem origo? tuam hac quoque in re Eudoxe! opinionem præstolor.

EUDOXUS. Morbo corripi dicuntur plantæ, cum in varias illarum partes idoneus succus non distribuitur. Tum illas veluti languescere videoas. Languor iste pluribus ex causis provenit: ab excessu, defectu, pravitate succi nutritii, à fertilitate ipsa, denique à casibus externis.

I. Excessus succi nutritii plantæ vascula diffingit, perniciösāmque effusionem causat. Cum abundantior succus in tubulis coagulatur, sistitur, succus verò ille, qui ex radicibus indesinenter ascendit, penetrat,

D 4

OC.

(z) Nieremb. l. Hist. Nat. c. 101

occupatque sensim tracheas, quæ pulmones veluti sunt plantarum, impedit commercium, & actionem aëris; sicutque circuitio succi intercipitur, & planta emoritur quasi præfocata.

2. Succi defectus idem fere morbi genus affert. Transpiratione haud parum succi deperditur, ut observare licet in plantis æstivo tempore flaccescentibus. Si à radicibus ad reparandam hanc jacturam succus non subministratur, fibras humore destitutas stringi, ac desiccari necesse est; inepta porro evadunt ad novi succi receptionem, hinc planta languescit, ac interit, flaccescunt folia, flavescent, decidunt denique, cum planta scilicet non suppeditat amplius succum idoneum, & bene præparatum, qui in fibris percolari valeat.

3. Pravitas succi, languores, ipsamque mortem plantis accersit, dum iisdem vitium affert. Urina ex. gr., aqua calce imbuta, aqua fimi nimium acris, humus calidior, & hujusmodi, quæ salibus corrodentibus, & vehementer agitatis abundant, radicum capillamenta exurunt, atque ad recipiendum è terra, ac percolandum succum inepta redundunt. Succus nimio glutine præditus imbibitur, densatur, & figitur, neque fluere, neque congruum motum embrioni plantulae ad sui evolutionem communicare valet,

tantumque abest, ut planta fructus profert, ut eam succi nutritii, unde fibrarum, caulis, & ramorum vita provenit, defectu interire oporteat.

4. Ipsa adeò fertilitas plantis interdum morborum causa est. Cùm enim liberalius succum dispensant fructibus, minùs conservant, quām in alimentum sufficiat. Quapropter arbores, quō fertiliores, eò minùs cæteris diurnæ reputantur.

Casus externi, qui plantis morbos adferunt, sunt: incisiones, gelu, calor, grando, insectorum punctio, plantæ, quas parasitos vocant, &c. Incisiones noxiæ, imò mortiferæ sunt plantis. Seu enim refecentur radices, seu cortice suo spoliatur arbor, vel verò intacto cortice frangatur lignum, versus humor in omnes plantæ partes nutrimentum derivare nequit. Gelu dilatat succos, & quemadmodum aqua hyberno frigere constricta ita dilatatur, ut ipsa quoque disrupat vaſa, sic gelu plantarum fibras dilacerat, findit, & interdum assulatim dissilire facit. Calor violenter succos agitat, & attenuat, plantarum poros aperit, agitationis vehementia succos exprimit; fibrae lucco destitutæ laxantur, plantæ demum infirmæ proprio pondere flaccescunt & languent. Grando contusione foliorum fibras lædit succumque nutritium sua extra

vascula propellit. Verum cur grando pluviae juncta minus est perniciosa?

ARISTUS. Pluvia fibras emollit, flexiliorésque reddit, quae, cùm se se identidem inflectunt, vim & violentiam deciduae grandinis perpetuò infringunt.

EUDOXIUS. Quod insectorum punctionem attinet, tumores illa in plantis efficit. Animalcula isthæc nonnullas plantarum partes pungunt, suaque ibi deponunt ovula. Punctionem consequitur succi nutritii effusio, succus diffusus vicinos poros penetrat, ibidemque colligitur, fibras dilatat, extendet, poros tumefacit, in quorum medio ovolum denique excluditur, proditque vermiculus, qui vicino in tuberculo suum alimentum jam præparatum invenit, in hoc velut nidulo crescit, & evolvitur, donec formam muscæ indutus tuberculum perforare, ac liberius, ampliorique in spatio deinceps victurus avolare possit. Inde in Ulli foliis vesiculæ, gallæ, & maculæ rubeæ. seu grana coccinea oriuntur.

Minimi culices maximas etiam arbores aggrediuntur. Pungunt Orni folia, ac sua immittunt ovula, succus, cuius usitatus cursus punctione interruptus est, extra vascula effunditur, vesicas efficit, pugni interdum magnitudinem æquantes, liquore quodam plenos in quo vermiculi subvires, ex ovolis

vulis recens exclusi fluitare conspicuntur.
Gallæ in Querci foliis eadem ratione gene-
rantur.

Rubeæ illæ maculæ, seu grana coccinea
hôc modô oriuntur: Cimices quidam par-
vuli tenuissima velut plumula tecti, ramis
adhærescunt arboris Kermes, quæ speciem
querci præfert, & calidis in regionibus
nascitur. Animalculum isthoc extimas fo-
liorum partes punctione fauiat, ovulum
que deponit, ex quo vermiculus primùm,
deinde musca efformatur; succus punctio-
ne & ovulo interceptus, effunditur, ac in
tuberculum concrescit, granulis refertum,
quæ materiam rubro colore vivacissimo præ-
ditam continent, materia hæc Cocciglastum
est, quò lanæ splendor, & suinitas concilia-
tur.

Plantæ parasiti non raro perniciosiores
sunt, quam insectorum punctionæ, parasiti
nomen quibusdam plantis, ut musco & vi-
sco impositum est, quod de aliarum arbo-
rum succo vivant. Radicibus enim suis in
arborum cortices se se intrudunt & infe-
runt, iisdemque in sui nutritionem succum
veluti suffurantur. Quò fit, ut illæ, qui-
bus adhærescunt arbores sensim exhaustan-
tur, langueant, atque sèpiusculè penitus in-
tereant.

Mucor ipse, qui in conditoriis humidis
plan-

plantas inficit, species quædam est plantarum parasitorum, fungis, & muſco ſimilium, quæ ob nimiam humiditatem in corticum rugis ſubnafcuntur. At quis in animum ſibi inducat, ut credat: res mucore fædatas ſimiles videri campo innumeris floſculis conſito. Hookius affirmat, ſe microſcopii ſubſidio in mucore quo libri cujuſdam tegmen inſpersum erat, conſpexiſſe floſculos, hos ſuo adhuc in calyculo, illos dimidia parte jam evolutos, alios integerrime formatos. (a) Plantarum parasitorum ſemina perquām exiguæ nobis ſunt, ut adeò facili negotio ventorum ope in muros, tecta, ac arbores deferantur, habitaque diſpoſitione congrua germinent.

ARISTUS. Nullæne his morbis medicinæ ſuppetunt Eudoxe!

EUDOXUS. Ut animalium, ita plantarum morbi complures curationem admittunt, ſuisque remediis juvantur. Inciſiones ex. gr. aliud interdum damni non adferrunt, quām ſucci imminutionem; huic malo ut occurratur, removenda primūm eſt terra, quæ radices operit, ut aëri liberior pateat via, tum firmitas iſternendus; ſic fiet, ut abundantior ſuccus ad radices uſque penetret, iisdemque preſſione aëris communicetur. Si

(a) D. Hook Microlog. item Epbem. Erudit, 20.
Dec. 1666. p. 499.

Si radices carie sunt obsitæ simus vaccarum , aut porcorum malum ultrò serpere prohibebit. Si mucorem contraxerunt, aqua limpida laventur, quæ tenuia illa musci nascentis fila dilacerat, & abstergit. Quando viscosus terræ limus radicum fibras laxat, obstructionesque causat, adeò, ut folia decidunt, terra radicibus adjacens columbarum stercore imbuenda, sic orietur fermentatio, quæ sales prolicit, fibrasque referat, ac firmat.

Si viscosiores quidam succi Oleas, & Malos aureas, à ferendis statim tempore fructibus impediunt, pullorum, aut columbarum stercus, vitium cineres, calx ipsa sub Autumnum cum terra, quæ istarum plantarum radices tegit, permixta, succos fluidiores, efficaciorésque reddit, florésque cum fructibus accelerat.

Ne plantæ mucorem contrahant, conditoria ab humore quam diligentissime custodiuntur. Plantæ calidis è regionibus allatae, asperrima etiam hyeme in capsis, quæ plantæ altitudinem non multum excedant, & vitreis fenestrīs instructæ sint, conservantur. Capsæ fundus simo insternendus, dumque solares radii validius terram verberant, aëri ingressus concedendus, qui si siccus & humoris expers est, nullum plantis nocumentum afferet.

Neque arborum vulnera suis semper carent remediis, si arboris ramus fortuitò se-
niruptus est, cortice tamen non penitus a-
vulso, geminæ rami partes conjungantur,
aptéque linea fascia obligentur, ne vernus
humor effundi, aut ab rigido aëre depra-
vari queat. Humor iste pristino cursu re-
stitutus sensim efficiet, ut fractæ partes ite-
rum concrescant.

Placétne jam Aristè! ut discussis Botani-
cæ principiis, disceptemus, uter plura hac
super re problemata resoluturus sit?

ARISTUS. Non detrecto certamen;
verùm id mihi prius abs te otii concedi po-
stulo, ut, quæ de plantis haec tenus te Au-
thore condidici, in memoriam tantisper re-
vocem. Crastina luce tertia à prandiis ho-
ra in Regio plantarum horto te præstola-
bor.

DIALOGUS V.

Explicantur complura & obser-
vatu digna Botanicis de rebus
Problemata.

ARISTUS. Quid attinet, Ariste! affi-
duo conatu terram invertere, aratro
proscindere, fodere, excolere, stercorare?

ARISTUS. Terra sic præparata, aptior
red.

redditur, ad transmittendam in radices usque pluviam, vapores, & alimentum ; salia majori copia segregantur, fermentationem juvant, succosque suppeditant ; liberior per glebae interstitia vagatur aer, qui elaterio suo terrestres fermentationes promovet, in que radicum fibras salia cum aqua intrudit.

EUDOXUS. Quidquid granorum evolutionem faciliorem reddit, illud aut efficit, aut accelerat plantarum germinationem. Hinc varia agriculturæ arcana habemus de quibus Ephemerides Eruditorum mentionem faciunt.

I. Si terra prius cremata, abundantí deñ aquâ irrigetur, fœcunda fit illico, copiosamque variarum plantarum multitudinem proferet. (b) Calor grana, seu semina à particulis terreis liberat, eorum poros referat, atque ad nutritium succum recipiendum disponit. Virgilius Poëtam juxta ac naturalium rerum peritum se probavit, quando cecinit :

*Sæpe etiam steriles incendere profuit agros
Atque levem stipulam crepitantibus urere
flammis :*

*Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pingua concipiunt ; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis hu-
mor,*

Sen

(b) Henerat. Fabri I. 2. de Plant. prop. 99. p. 56.

*Seu plures calor ille vias, & plura relaxat
Spiramenta, novas veniat quā succus in her-
bas.*

1. Georg. lib. vers. 84.

2. Macerentur spiritu vini lactucæ, Bras-
ficæ crispæ, acetariæ &c. semina, misceatur
terra calce diluta, & in pulverem redacta,
tantillo quoque columbino stercore, 48.
circiter horarum spatio, lactucam, Brassicam
crispam, Acetariam &c. pullulare videbis.

3. Vin' ut Selinum mira celeritate suc-
crescat? in aceto macera Selini semina, ac
posteaquam terræ bonæ eadem commiseris,
multo cinere ex fabarum siliquis insperge,
terram deinde spiritu vini irriga, linteisque
probè contege: paucarum horarum spatio
Selinum germinabit.

4. Ut pisa, fabæque properatò crescant,
alia re opus non est, quām ut diebus no-
vem calido in oleo serventur, & supra cra-
ticulam siccata terræ mandentur: unius ho-
ræ intervallo pīla ac fabæ ex crescent. (c)

5. Semina in duobus cum dimidio aquæ
sextariis optimo nitro imbutæ macerata
multò fertiliora evadunt,

6. A pruina illæsiæ servantur vineæ hoc
remedio: si fortè timetur pruina, complu-
res simi stramine permixti cumulos, iis in
vineæ partibus, quæ vento patent, consti-
tue; sub ortum Solis subiecto igne cumu-
los

los incende; fumus duarum circiter horarum spatio in modum nubis densatus per omnem vineam se diffundet, solares radii fumum ægrè trajicientes sat vitium non habebunt ad dilatandos succos, uvarumque ac teneriorum foliorum fibras lacerandas, ros gelu constrictus lentè in aquam solveatur, uvæque remanebunt illæsæ: id quod successu ipso comprobatum legitur. (d)

7. Arcanum majoris longè momenti est modus conservandi fructum pretiosissimæ plantæ, frumentum intelligo. Ex topho fiat puteus, cuius interior superficies bene plana sit, ut pluvia penetrare nequeat. Ostium putei ad unius circiter perticæ profunditatem trium tantummodo pedum diametro pateat; deinceps vero putei diameter ad 18. aut 20. pedes sensim ex crescet, si ejusdem profunditas 30. pedibus major fuerit. Fundus obtegatur stramine, latera paleari matta muniatur, ne frumentum topho proxime adjaceat. Immittatur frumentum bene mundum, & desiccatum, puteum repletum claudat tabula lapidea, aut ex ligno crassiore, ostio æqua magnitudine respondens, pars suprema, arenato, & lapi de in conum figurato operiatur, ut aqua pluvia defluat. Creditur frumentum ipsis triginta annis in hisce puteis asservari, ca-

E

bo-

bonitate, tanquam si recens flagellis excusum fuisset. In Italia data opera ejusmodi putei construuntur. Puteis his referatis fumus velut nubecula quædam emergit.

ARISTUS. Nempe istiusmodi putei prohibent, ne aër extraneus in granorum frumentariorum interstitia vapores noxios, aut salia deferat, quæ eadem penetrarent, disfolverent, ac depravarent. Interior quoque aër granis ipsis contentus, dilatare se se ac extendere non valet, neque, quod consequens est, eorundem plexum ac texturam solvere; sic etenim eo in loco grana omni ex parte constricta sunt, ut interior aër spatiū amplius, quod occupet, non reperiat. Quō fit, ut tanto annorum intervallo frumentum conservetur, ea fere bonitate, qua fuit, dum illis puteis primū conderetur. Attamen fieri nequit, quia aëris interioris elaterium, & subtilissimi ætheris actio, qui omnia pervadit, calórumque subterraneus nonnullas tandem à granis frumentariis particulas abstrahant, & transpirare faciant: atque inde fumus ille dicit originem, qui puteo reseratō in sublime fertur.

EUDOXUS. Sed redeamus ad plantas, quibus tam utiles, tamque salutares fructus in acceptis referimus.

ARISTUS. Plantarum radices animalium stomacho comparantur.

EU-

EUDOXIUS. Neque abs re: radices etenim, quemadmodum stomachus, alimen-
tum recipiunt, digerunt, atque nutritum
in succum vertunt. Nam ut primū ex
radicibus in caulem alimentum transiit, o-
dorem, colorem, saporēmque immutat.
Aëris actio succos in trunco perficit, calor
solis, agitatione, & divisione eosdem exco-
quit. Fidem fortasse non habebis relatio-
ni complurium Authorum, qui asserunt:
humano quoque in corpore plantas nasci.
Attamen Ephemerides Eruditorum Germa-
niæ referunt, ex homine quodam fungulos
per intervalla abscessisse, ut ex aliis calculi
item in homine ætatis 50. anno caulem
compluribus fungulis obsitum ex rene dex-
tro decerpsum fuisse. Batavorum nonae-
mo de fungo loquitur, qui gallinæ ovum
magnitudine æquabat, humanaque in vesica
formatus fuerat. Cannam Sacchari in Ele-
phantis stomacho radices egisse, & germi-
nasse, res adeò mira est, ut fidem superet.
Nisi forte dicamus, fieri posse, ut plantarum
semina in stomachum translata, in chylo,
aut succis nutritiis, peculiares quosdam
succos, ad plantæ evolutionem accommo-
dos, reperiant.

At cur tempestatis jam frigidæ, jam cali-
dæ, cœli modò sereni, modò nubili, licet
non pluvii vicissitudo, plantarum terrestrium

juxta, & aquaticarum incrementa promovet?

ARISTUS. Calor, & frigus atmosphæræ, interiori aëri plantis contento se se commiscet: is à frigore comprimitur, rarescit à calore. Aër compressus verno humoris locum præstat, rarescens eundem impellit. Igitur illa frigoris, & caloris vicissitudo planitarum cùm aquaticarum tum terrestrium incrementum accelerat. Crederésne Eudoxe! in Canada Sacchari quoddam genus ex Acere colligi?

EUDOXIUS. Haud ægrè assentior: id ipsum tamen ut explanes, abs te postulo.

ARISTUS. Sunt stata anno quolibet tempora, quibus arborum vascula uberiore succo gaudent: Vere scilicet, & Æstate. Istiusmodi abundantia, germinantium planitarum vernans humor appellatur. Ver primi, Æstas secundi humoris tempus est, quô arborum plurimæ vel tantillum in cortice lœsæ humorem magna copia profundunt. Humoris hujus ubertas motu suo elastico impulsa ex vulneris ostiolo identidem stillat: inde Balsama, & resina terebinthina ex Pinis oriuntur. (*) Quare, cùm arbores

va-

(*) Ajunt: in Polonia tabulam ex Abiete arcendo fumo ante caminum affixam, quinque plus resine stillasse, qnām tabula ponderabat. Probabile videtur particulas ligni resinati, quod supra caminum ardebat, magna copia in ejus tabula poros se se insinuasse.

variis succis abundant, non video, cur ea-
rum aliquæ, ejusmodi liquorem proferre
non valeant, ex quo genus quoddam Sac-
chari parari possit. Verum quâ ratione id
fieri existimas Eudoxe?

EUDOXUS. Ut ex Aceris succo paretur
Saccharum, ad unius pedis altitudinem in
hac arbore fit incisio. Tempus incisionis
statuitur sub primos Februarii dies, usque
ad Aprilis initium. (e) Supra incisuram
perforatur arbor; in foramen fistula immit-
titur, quæ stillantem succum in subiectum
vas trajiciat. Acer paulò crassior 160 sex-
tarios succi fundit. Liquor iste sex circu-
ter horis continuis bullire sinitur, donec
ad tres usque sextarios imminutus fuerit;
indesinenter tamen agitandus est liquor,
hoc enim neglecto, in lapidis veluti duri-
tiem concrescit. Agitatio impedit, ne par-
tes refrigeratae subfidant, & mutuò nimium
implicentur; aër faciliùs subit, ac suo elas-
terio liquorem reddit molliusculum. De-
prehensum est, hoc operandi modo, unam
ex ejusmodi arboribus in Nova Francia bi-
nas ternásve sacchari libras suppeditâsse fa-
poris tam exquisiti, ut saccharo, quod ex
occidentali India affertur, nequaquam ce-
dat, quin imo ad usus medicos accommo-
datius sit.

ARISTUS. At cur dum arbores vernantur humore turgent, corticem ex ejus trunko nullo negotio detrahimus?

EUDOXUS. Quia succus corticem inter & lignum fluens suo motu & elaterio corticem à ligno separat.

Præcipua ramorum emissio fit in summitate trunci, dūmque arbor decacuminatur, (f) alio in loco, quām in trunci apice verno tempore novi surculi non prodeunt.

ARISTUS. Id ex eo provenit, quod vernus humor recta via in sublime delatus, prius non sistatur, neque directione obliqua feratur, ac surculos protrudat, quām ubi certam altitudinem obtinuit. Verūm qua de causa arbores vetulæ, & ligni solidioris, ut plurimùm cæteris tardius emitunt folia?

EUDOXUS. Ejusmodi arbores partibus constant strictioribus, & magis compactis, vernus igitur humor transitum minùs liberum reperit, atque adeò folia explicantur tardiusculè: velocius verò iis in arboribus, quarum partes sunt flexiliores, & copiosiore succo imbutæ.

Quid tibi videtur Ariste! de Planta Aloë, cuius meminere Trivultienses; (g) quæ, dum in horto quodam Montis Pessulanii lon-

(f) Vox à Columella usurpata, (g) Mem. Trivult. Nov. 1708.

longissimi temporis intervallo constituta, siccari, & emori videbatur, tam prodigiosa velocitate germinare cœpit ut horis quatuor & viginti nondum ex integro elapsis ad viginti pedum altitudinem immani cum fragore assurererit.

ARISTUS. Forsitan corticis, aut integumentorum duritas surculorum eruptiōnem diutius retardaverit, quibus mutuo implexis, succi multo aëre tumidi eorundem fibras violento impetu penetraverint; magna aliorum succorum copia circa radices hæserit; tandem subita corticis, aut integumentorum divulsio liberum repente surculis præbuerit exitum; ii violenta quadam fermentatione, & interioris aëris nūm compressi dilatatione, unā cum foliis celerrimè eruperint, succi circa radices constipati rapido motu in plantæ corpus immograverint; turgescentis succi copia causaverit subitum incrementum; celeritas illa, quâ se se planta memorata explicuit, violento, & alterno motu verberaverit aërem, igitur necesse erat quemdam quoque frangorem exaudiri.

EUDOXUS. Ut ut res hæc se se habeat; inquiramus aliud. In arborum quorundam foliis mel aut manna quoddam reperitur. In hisce foliis, præcipue Soli expositis frequenter observare licet humorē viscosum

ac dulcem, cuius ante Solis ortum ne vestigium quidem notabatur. Visæ sunt apes quoque humorem istum ex arborum foliis colligere, quemadmodum similem ex interiori florum fundo succum asportant. Succus hic mel aut manna quoddam videri potest. Et verò mel, ut notavit Plinius, plantarum ex quibus apes id collegerunt, saporem servat. Hinc certis in regionibus succus ille perniciosus, in aliis mediocris, in quibusdam exquisitus est. At unde mel aut manna istud originem dicit? num à rore, ut Veteres credidère?

ARISTUS. Mel, aut manna subtilissima juxta ac elaboratissima succi nutritii plantarum portio est, quæ calore excocta, ac tenuior reddita in foliorum fibras impellitur, & erumpere coacta, per laxiores poros exudat. Quid aliud est manna Calabriæ, quam succus è Fraxino stillans? Verùm quid censes Eudoxe! foliáne fructibus necessaria sunt, aut utilia?

EUDOXUS. Succi in foliorum fibris circumacti perficiuntur. Serviunt quoque folia ad defendendos ab aëris injuria tenuiores fructus. Denique si erucæ devorârunt folia, languescunt arbores, ac abortum faciunt.

ARISTUS. Scire ex te modo cuperem, qua de causa arbores nimium fœcundæ, ætatem minus ferant?

EU.

EUDOXUS. Nimirum ultrà suæ magnitudinis proportionem nimiū succi nutritiendis fructibus impendunt, ut parum admodum pro radicibus, caule, & ramis supersit. Hinc putantur vineæ, non ejus tantum rei gratia, ut ramuscotorum plus proferant, verùm ut ne nimiis onerentur fructibus; ut vineæ sessiles, quæ, quoniam non putantur, fructibus abundant. Eapropter vinitores, qui elocatas sibi vineas excolunt, easdem postremo locationis anno, aut putare omnino negligunt, aut supremas solùm partes rescindunt, ut fructum ubiorem referant. Id quod populari Galorum proverbio dicitur: *tirer au vin quasi diceres*: omnem vitium succum in uvas derivare. Verùm si duobus tribusve annis vineam putare negliges, nimia fertilitate, & succi nutrītii profusione vites interibunt.

Dum grandiores arborum rami refecantur, eccur locum plagæ operiunt, & obligant Hortulanū?

ARISTUS. Hoc eò fit, ut succus intratruncum & ramos fluere coactus, effusionis periculum non subeat. In arborum quoque insitione fasciolis plaga obducitur, ut scilicet succus eo in loco collectus facilius trajiciat surculum, & in cicatricis formam concrescat; cuius labra dum intumeſcunt, plagam insitione factam obtegunt.

Oleæ

Oleæ insitæ, quarum cortex illæsis superioribus ramis infrà insitionis locum rescinditur, plus illo anno fructuum ferunt.

EUDOXUS. Nempe succus, unde flores fructusque oriuntur idem ipse est, qui per medullam fluit, uti jam notavimus, cortice vero resciutto uterque deinde succus, medullæ scilicet, & corticis percolatur, ac commiscetur.

Observastine, Ariste! Malum auream, & Ficum minoribus in capsis consitas magis esse frugiferas?

ARISTUS. Minoribus in capsis, ut opinor, vernus istarum arborum humor, cum ob compressas angustiori vase radices, se se diffundere nequeat, majori copia ad flores & fructuum foetus nutriendos impenditur. At cur eos in agros pastum ducuntur pecora, ubi foliis nimium abundant segetes?

EUDOXUS. Ut nutritio succo probè subacto, caulinus in calatum assurgat. Quomodo fructus ad maturitatem denique perveniunt?

ARISTUS. Calor distrahit, & attenuat quidquid nimis aquosum inest fructibus, exiguásque moleculas tenuiores reddit, atque adeò affiendo suaviter gustus organo perquam accommodas. Fructus sic constituti appellantur, maturi. Sed fitne in plantis occulta quoque expiratio.

EUDOXIUS. Ne dubita : cur etenim dum aura calet vehementius ; plantæ inclinari, & flaccescere, tempore verò humido vigere & recreari ? nempe occulta expiratio ab æstu causata ingentem corpusculorum copiam plantis eripit , quô fit, ut exhaustantur, & laxentur fibræ, suam firmitatem amittant, defectuque corpusculorum, ac spirituum fibrarum tubulos sustentantium, gravitatis tandem viribus cedere cogantur. Sic animalium corpora post copiosum sudorem languent, sudor enim necessarios ad corporis vigorem spiritus imminuit. Dum autem recentior, humiliorque aër novos succos, novosque spiritus plantis communicat, replentur tubuli, intumescunt, eriguntur, denique pristino vigore donantur. Idem fessis animalibus usuvenit, dum refrigerantur, novique spiritus nervos replent, pristinum vigorem, ac firmitatem iis adferunt.

Nonne Heliotropii motus, qui Solem veluti sequi videtur, immodicæ expirationi adscribendus ?

ARISTUS. Partes hujusce floris soli obversæ, nimia succi transpiratione laxantur, aliæ partes, quæ solem non respiciunt firmiores sunt, illæ igitur foliorum, & floris ponderi cedere coguntur, eamque in partem inclinari, ubi debilius fulcrum est, quæ

nem-

nempe Solem respicit, hinc Solem sequi
Heliotropium creditur, & ad nutum veluti
hujus astri moveri.

EUDOXUS. Solis quoque actioni tri-
buendum censeo, quod apud Sinas repe-
riantur rosæ, quæ diebus singulis colorem
bis mutant, ac modò albæ, modò rubræ,
aut purpureæ videntur. Fibrarum etenim
textura actione solis immutatâ succísque
variatis, solares radii aliter, atque aliter re-
flectuntur, & intuentium oculis alios, aliós-
que colores alternis vicibus exhibent.

ARISTUS. Observavi sæpiuscule arbo-
res verno tempore ea in parte ramos pro-
trudere citius, quæ Meridiem, quam quæ
Septentrionem respiciunt.

EUDOXUS. Causam hujus phanomeni
ex jactis paulò ante principiis, ut mihi qui-
dem videtur, commodè deduxerim. Pars
arboris quæ Meridiem spectat, directos so-
lis radios excipit; pars verò quæ Septen-
trioni obvertitur, reflexis tantummodo ra-
diis verberatur; atqui radii directi plus ha-
bent virium, plus caloris efficiunt, succúm-
que celerius, ac abundantius impellunt, ut
adeò ramos ea in parte celerius succrescere
nequaquam mirum videri debeat.

Succi ex quibus ramorum alii citius, tar-
dius alii nascuntur, novis quoque in annos
singulos incrementis truncum augent, In-

cre-

crementa isthæc ex areis orbiculatis, diversa tamen centra respicientibus observare licet. Earum excentricitas servire forsitan potest, ad ducendam absque acu magnetica, & Solis ope meridianam lineam cuius scilicet unum extremum respiciat Septentrionem alterum meridiem.

ARISTUS. Rem hanc uberior Eudoxe! explicari cuperem.

EUDOXUS. Selige arborem eō locō sitam, quem Solis radii liberè feriant. Arboris hujus truncum ductu horizonti parallelo serrâ reseindi jube. In trunci remanentis plano complures circulos observabis aliud atque aliud centrum respicientes. Semi-circuli Meridionales ampliores & ab invicem remotiores sunt, quām arcus Septentrionales, juxta proportionem, quā illi Meridiei, isti Septentrioni directius obvertuntur. Nimirum actio caloris in latere meridionali, quām septentrionali potentior, plus succi purioris in illud, quām in hoc latus dispensat. Quare si per gemina puncta, ubi semi-circuli meridionales magis, & septentrionales minus ab invicem distant, lineam duxeris, absque acu magnetica, & observationibus Solis meridianam lineam utcunque accuratam habebis. Ex eodem capite, si cæsam arborem inspexerimus, qua parte Meridiem, qua Septentrionem prius spectaverit, divinare licebit.

ARI-

ARISTUS. Flores aliqui noctu folia contrahunt, ut *Convolvulus*, alii eo tempore se se explicant, ut *Rosa Jerichuntina*.

EUDOXUS. Hoc à diversa plantarum textura provenit. Si enim flos aliquis tubulis constat Cylindri formam imitantibus, cavis, flexilibus, noctu intumescet, se se aperiet, & explicabit. At quando matutinus sol desiccaverit tubulos, partes oppositæ floris suo se elaterio contrahent, totusque flos diurno tempore convolutus videbitur. Ob contrariam tubolorum dispositionem *Convolvulus* flos, noctu clauditur, mane se se iterum expandit.

Plantæ novellæ subterraneis in cellis, vel cubiculo inclusæ, cuius fenestra aperta sit, sua veluti sponte in eam partem vertuntur, quæ spiraculum aut fenestra patet.

ARISTUS. Ejusmodi plantulæ à succis circulantibus, & ab aëre ambiente impulsæ in eam partem caulinum & folia convertent, ubi pressio minor est, atqui fenestram & spiraculum versus aëris pressio minor est, nam aér illa in parte sèpius, & facilius cedit, cùm rario sit ac calidior, proximiòrque exitus pateat. Eadem de causa plantarum caulis, & ramuli arbustivas sepes, seu palatas arbores veluti refugere videntur.

Sed cur *Lupus salictarius*, similésque plantæ, aliis se se implicant, & innectunt plantis?

E U.

EUDOXUS. Hæ plantæ ob innatam debilitatem se ipsas sustentare nequeunt; ubi igitur corpus firmius occurrit, continuo adhærent; molles fibræ quæ firmiori corpori veluti fulcro innituntur, ob compressionem duriusculæ fiunt, se sèque tantillum contrahunt, exteriores vero, ac oppositæ fibræ extenduntur. Isthæc fibrarum contractio in aliis plantæ partibus, idem efficit. Inde plantarum quarundam circumplexus oritur.

Vidistin' unquam sub ostreorum pondere arborum ramos deprimi? P. du Tertre Ordinis S. Dominici in sua de Insulis Antillulis Historia refert, deprehendisse se prope Aquas Lupias complures arbores, ostreis ita oneratas, ut pondere inflexi tandem rumparentur rami. Idem observatum Plimuti in Anglia. (h)

ARISTUS. Scilicet maris undæ dum arborum istarum ramos alluunt, ostreorum ibidem deponunt semina, & affigunt; ostrea subinde exclusa, facili negotio suum alimento reperiunt, cum binis per diem vicibus reciprocante maris æstu irrigentur.

EUDOXUS. Accidit frequenter plantas ab insectis lædi; intactæ remanebunt, si certis salibus imbuantur, hi enim insectis no-

xii sunt, quorum fibras dilacerant. Ex. gr. mediæ horæ spatiō pugillus Rutæ, Absynthii, Tabaci, in aqua bulliat, aquâ inde expressâ ter, quatérve, dum florent, plantæ irrigentur, nihil deinceps à muscis, & eruis damni perferent. Similiter teredines non corrodent opera tessellata, si aqua, pulvere ex argento vivo & amoniaco concreto permixta, læpius illinantur. (i)

Unum adhuc adfero, quod prima fronte incredibile videri possit. In Antillis hiberno tempore germinant, & florent omnia, prata virenti teguntur gramine, æstivo decidunt, maximâque plantarum pars interit. In promptu causa est: aura ctenim illis in insulis hyemis quoque tempore calet; æstivo nimius æstus plantas exurit.

ARISTUS. Nihilne particulatim memorabimus, de Vite humano generi tam utili planta, & Aris ipsis adhiberi solita? cui Omphacium, vinum, ac acetum debemus. Unde tanta ejusdem succi vicissitudo?

EUDOXUS. Diversitas isthæc ex principiis iisdem variè inter se dispositis oritur. Botri granum sub initium aliud non est, nisi aqueus quidam humor, qui terræ, pinguiori acido, oleoque imbutæ pro vehiculo deserviit. Calor qui terream substantiam

(i) Ephem. Erudit. 1667. 13. Jun. p. 115. Hist. Acad. Scient. 1705. p. 35.

tiam sensim dividit, quod acidi & olei latet, evolvit. Sub certo evolutionis modo acidum, oleum, & terra moleculas adhuc crassiusculas constituunt, gustus organi fibras asperè vellicantes: liquor iste Ompachium est. Acidum magis evolutum, & terreis particulis liberum organi fibras suaviter afficit, at suo adhuc oleo innatans molliter nimis linguam pulsat, neque sic titillat, ut acrem sensationem efficiat: id dulce vinum, seu mustum appellamus. Resolutionis deindi vi acidum ab oleo ipso se se expedit, jamque non leviter absque tamen laesione gustus organum pungit, en vinum absolutum! Tempore intercedente, fortiori resolutione, & motu liquidis corporibus proprio, præcipue si vas probè custoditum non est, acidum se se nimium evolvit, & ab oleo liberat, quò fit, ut fibras pungat, agitat, laceret, denique gustus organum laedat: hoc acetum est. Atque hac ratione iidem succi celeberrimæ hujus plantæ sensim variis saporibus imbuuntur. (k)

Credisne Ariste! plantas respirationis defectu demum interire? Plantarum respirationem detexit Malpighius; eandem Author quidam recentior eruditissima hac super re dissertatione confirmat. (l)

F

ARI-

(k) Hist. Acad. Scient. 1729. p. 16. (l) Memora Tirvolt, 1712. Mens. Maj.

ARISTUS. Illud postremum expectavi, ut, quid de Plantarum respiratione sentias, ex te intelligam.

EUDOXUS. Cùm in aqua, ex qua ope Antliæ pneumaticæ extractus sit aér, experientia nos doceat pisces emori, non absque fundamento judicamus, pisces ipsa in aqua respirare; atqui similiter emoriuntur Plantæ, in aqua verò aëre imbuta vitam servant, igitur nonnulla verisimilitudine dici potest, Plantas respirare.

2. Persuasissimum habemus, insectis quoque necessarium esse respirium, ut vivant: oleum siquidem, quod respirationis ductus obstruit, mortem iisdem accersit; atqui olei solus odor plantas magno numero vallet interficere; imo si olei tantummodo guttam radicibus affundas, planta emoritur, igitur verisimile est Plantas æquè ac insecta opus habere respiratione.

Et verò si plantæ alterno ductu attrahunt rejiciuntque aërem dici possunt, quadam ratione respirare: atqui 1. plantæ attrahunt aërem; indubitatum est siquidem, ramos virides multum aëris continere, dum enim una ex parte ardent, alterâ æolipilæ in morem flatum emittunt. Fructus, quorum caro spongiosa est, ut Mala Citrina, & Aurea, quid aliud sunt quam congeries minutissimarum cellularum aëre repletarum; Pita,

Fabæ-

Fabæque recens collectæ interioris aëris dilatatione in Machina vacui intumescunt adeò, ut denique rumpantur. 2. Plantæ aërem quoque per intervalla rejiciunt: cùm etenim notabilem expirationem patientur, novásque identidem aëris particulas cum alimento excipient, necesse foret eas servato semper pristino aëre supra modum intumescere, lacerari fibras, demum interire.

4. Denique certo intervallo excipere & rejicere aërem respirare est: atqui plantæ certo intervallo excipiunt rejiciuntque aërem; non enim alterno tractu dilatare se se, ac constringere valent, nisi certo intervallo excipient, rejiciantque aërem; atqui non aliter se se dilatant, & constringunt; nam succi fermentationis ope in plantæ corpus intrusi dilatant tubulos, qui suo elatio iterum constringuntur; verisimile igitur est, respirare Plantas.

Accedit: in interioribus plantæ partibus geminos reperiri ductus: uni succum excipiunt, scilicet tubuli lignei; alteri, aërem in cellulas deferunt, & appellantur tracheæ, multumque similes videntur tracheis Insectorum, eodem enim ferè modo juxta plantæ longitudinem dispositæ, tenuissima constant lamina, huaque in progressione modo junguntur modo cellularum instar dilatantur. Cellulæ istæ receptacula, & si ita fas

est dicere lobi sunt, quâ per tracheæ tubulos defertur aër, indéque in succos immigrat, quos fluidiores reddit, ut adeò omnes Plantæ partes trajicere, ac animare valeant. Aër Plantam ingressus, dum eadem se se dilatat, egreditur iterum, dum Planta constringitur. Sic in exiguis quibusdam foraminibus spongiæ marinæ genus quoddam systoles & diastoles observatum fuit. (m)

ARISTUS. Credo equidem Eudoxe! tam grandi numero effectuum naturalium exposito, alios propemodum infinitos intelligendo assequi licebit.

EUDOXUS. Corporis humani juxta, ac Plantarum cognitio, generali velut in imagine structuram nobis exhibet, quâ animalium reliquorum corpora constant. Materia isthæc ejusmodi est, quæ uno minimum colloquio tractari mereatur.

(m) *Hist. Acad. Scient.* 1710. p. 73.

O. A. M. D. G.



D. O. M. A.

Quod

BONUM, FELIX, FAUSTUM, FOR-
TUNATUMQUE SIT

Huic Almae, ac Celeberrima
UNIVERSITATI GRÆCENSI,
Senatui Philosophico, totique Rei-
publicæ Christianæ.

S U B

R. P. GEORGIO NEUMAYR,
è Societate JESU,

AA. LL. & Philosophiæ, nec non SS.
Theologiæ Doctore, S. Scripturæ Profes-
sore Ordinario, ac Inclytæ Facul-
tatis Philosophicæ p. t.

D E C A N O S P E C T A B I L I .

Quinquaginta quatuor, Perillustres, Reve-
rendi, Religiosi, Prænobiles, Nobiles, tam
virtute, quam eruditione

C O N S P I C U I ,

In Aula Acad. Archi - Ducalis S. J. Colleg.
Anno M. DCC. XLIII. Mense Mayo Die

Horâ VIII. Matutina

Primâ AA. LL. & Philosophiæ Laureâ conde-
corati sunt,

P R O M O T O R E

R. P. CAROLO DOLLENZ, è Soc. Jesu,
AA, LL, & Philosophiæ Doctore, ejusdēm-
que in Physicis Professore
Ordinario.

NOMINA PROMOTORUM.

1 { Franciscus Xav. Fankus, Nobilis Styrus Græcensis, ex Archid. S. J. Convict. Colleg. Perillustris D. Leopoldus à Warnhauser, Styrus Græcensis.

2 { Rev. ac Rel. D. Remigius Ebner, Sac. & Apost. Ord. sub Reg. S. August. Collegiatæ Ecclesiæ ad D. Thomam in Vorau, Can. Reg. Lateran.

3 { Rev. ac Rel. D. Amandus Catharin, Sac. & Apost. Ord. sub Reg. S. August. Collegiatæ Ecclesiæ ad D. Thomam in Vorau, Can. Reg. Lateran.

4 { Carolus de Schrägl, Prænob. Styrus Græcensis, ex Archid. S. J. Convict. Colleg.

Franciscus Xav. Jäger, Prænob. Italus Venetus.

5 { Antonius Franciscus Hinteregger, Civis Carinthus Gamuntensis.

6 { Ernestus Schenk, Civis Styrus ex S. Ruperti, ex Cæs. Ferdinandæo.

7 { Joannes Rossi, Nobilis Tyrolensis Annaniensis, ex Cæs. Ferdinandæo Alumnus.

8 { * Antonius Michaël Weckler, Civis, Styrus Græcensis.

9 { Josephus Wolfgangus Riebl, Civis, Styrus Schladmingensis, ex Cæs. Ferdinandæo.

* Lucas Mettinger, Styrus Vetero-forensis.

10 { R. D. Antonius Joannes Nepomuc. Gottscheer, Prænobilis Styrus Leobiensis, ex Archid. S. J. Convict. Colleg. Alumnus Gyriensis.

11 { Carolus Joachimus Josephus Veigl, Prænob. Styrus Græcensis, ex Archid. S. J. Convict. Colleg.

12 { Perillustris D. Ignatius Maximilianus Schrott à Schynberg, Provincialis Styrus Græcensis,

6. Antonius Rausch, Prænob. Austriacus Viennensis,
 Perillustris D. Ignatius Sigismundus Nobilis à
 Prunerstein, S. R. I. Eques, Styus Græcensis.
 7. Antonius Josephus Kipperer, Nob. Styr. Græcens.
 8. Maximilianus Miller, Prænob. Styrus Græcensis.
 9. Carolus Gigler, Nobilis Styrus Leobiensis.
 10. Franciscus Xav. Temporall, Civis, Styrus Fürsten-
 feldensis, ex Cæs. Ferdinandæo.
 11. Augustinus Holzer, Prænob. Styrus Græcensis.
 12. Georgius Stephan, Civis, Hungarus Kismartonien-
 sis, ex Cæs. Ferdinandæo.
 13. Jacobus Schnuderl, Civis, Styrus Vindo-Jährin-
 gus.
 14. Josephus Lew, Nobilis Styrus Petoviensis.
 15. Christophorus Mollinari, Prænobilis Tyrolensis
 Tridentinus.
 16. Georgius Schwaghoffer, Civis, Styrus Pirkenfeld.
 17. Michaël Jarmon, Prænob. Austriacus Viennensis.
 18. Philippus Jacobus Pock, Carinthus Clagenfurtens.
 19. Franciscus Xav. Batscher, Civis Carniol. Vipacens.
 20. Ludovicus Jarmon, Prænob. Austriacus Viennensis.
 21. Cajetanus Frölich, Prænob. Styrus Græcensis.
 22. Matthæus Margotti, Civis, Styrus Græcensis.
 23. Jacobus Andreas Ursler, Civis, Styrus Gross-
 Wilfferstorffensis.
 24. Adamus Dietrich, Civis, Austriacus Waydhoffens.
 25. Oswaldus Kronowetvogl, Civis, Styrus Petoviensis.
 26. Joannes Michaël Lenz, Civis, Austriacus Neosta-
 dienensis.
 27. Jacobus Funth, Civis, Carinthus Pleyburgensis.
 28. Simon Geritsch, Civis, Styrus Gonnovicensis.
 29. Joannes Ludovicus Siglberg, Nobilis Carinthus
 ex S. Viti.
 30. Joannes Hierlmayr, Bojus Dinzlingensis.

Extra Ordinem.

R. D. Pasqualis Hermagoras, Italus Forojuliensis ex
 Ronch. Montis Falconis, SS. Theol. in 2. annum
 Auditor. Reve

- R. D. Antonius Prividali, Italus Foro-juliensis, SS.
Theol. in 1. annum Auditor.
- R. D. Casparus Josephus Franchi de Franchenfeldt,
Carniolus Labacensis, ex Archi-Ducali S. J. Coav.
Colleg. SS. Theol. in 1. annum Auditor.
- D. Franciscus Xaverius Jugoviz, Nobilis Carniolus
Leopolitanus, ex Archi-Ducali S. J. Conv. Colleg.
SS. Theol. in 1. annum Auditor.
- D. Gabriel Josephus Pleffgo de Prætenfeld, Prænob.
Carinthus Clagenfurtensis, SS. Theol. in 1. annum
Audit. è Cæs. Ferdinandæo.
- R. D. Josephus Pilgram, Prænob. Carniolus Labacen-
censis, SS. Theol. in 1. annum Audit.
- R. D. Laurentius Grom, Carniolus Rottmonstorffen-
sis, SS. Theol. in 1. annum Audit. Presbyter.
- D. Martinus Jodocus Lienhart, Civis, Styrus Vindo-
Græcensis, SS. Theol. in 1. annum Audit. è Cæs.
Ferdinandæo Alumnus, Labacensis.
- R. ac Perillustris D. Nicolaus Xaverius Vitnich, Libur-
nus Fluminensis, SS. Theol. in 1. annum Audit. è
Cæsareo Ferdinandæo Alumnus.
- D. Sigefridus Egghardt, Nobilis, Styrus Græcensis,
Theol. Moralis Audit.
- D. Antonius Aigentler, Prænob. Styrus Græcensis,
Metaphysicus.
- D. Castulus Kinniger, Officialis Austriacus Windisch-
Garstensis, Colleg. Ecclesiaz B. M. V. ad Montem
Pyrrhum olim Alumnus, Metaph.
- D. Franciscus Xaverius Hietl, Civis, Styrus Maren-
bergensis, è Cæs. Ferd. Alumnus, Metaph.

Problema Physicum in Actu decisum.

An Fontium origo ab Oceano, an à nivibus, & aquis
pluviosis repetenda?

Problema Geometrico-Algebraicum.

Altitudinem scopuli ex. gr. qui accedi non potest;
juxta ac latitudinem maris interjecti duobus tantum
baculis ope Algebrae dimetisi.

NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

C08155



00000320999

